

A R C H I P E L A G U
EGRIPPOS
NEGROPONT
M.B NEGROPONT
Livadia
Thiva
Scyro
Andros
MITYLE
NE
Volo

PROLVSIO PRIMA

DE

Q. HORATII FLACCI EPISTOLIS

QVA

AD

QVINQVE ALVMNORVM ORATIONES

IN

SCHOLA REGIA GRIMENSI

D. XVII. MARTII A. C. CIↃIↃCCCXXVI.

AVDIENDAS,

INVITAT

M. AVGVSTVS WEICHERT.

GRIMAE

EX OFFICINA GOESCHENIA.



§. 1.

Q. Horatii Flacci Epistolas si qui sunt Viri Docti, qui eo omnes consilio scriptas opinentur, quo et inventae sunt epistolae et vulgo scribi solent, (vid. Cic. ad Divers. Lib. II. ep. 4.) ii magnopere vereor, ne fallantur verumque ignorent ingenium et horum virtutes carminum, quibus eximia inter antiquitatis monumenta ex ea parte, qua humanae vitae sapientiaeque ratio spectatur et docta humanitatis studia censentur, vix quidquam reperiri posse utilius uberiusque intelligentissimi quique viri judicarunt. Neque enim Horatius in scribendis, quae Epistolarum nomine hodie feruntur, poematis id spectavit, ut, quae tacito sensisset ac cogitasset animo, cum amicis communicaret eorumque, sicubi opus esset, fidei atque taciturnitati concrederet, aut, si quando affectus esset aliquo dolore, in eorum sinu defleret, nedum ut absentes, si quid novi publice privatimve accidisset, per litteras faceret certiores, sed quidquid exaravit epistolarum, sive jocoso et hilari seu severo ac gravi scriptarum animo, id diu saepe multumque commentatus chartis mandavit et tanta cum cura limavit, ut haec epistolaris generis poemata uno juncta volumine aliquando in lucem ederentur, neque ab iis solum, quibus inscripta erant, sed ab aequalibus potissimum ac posteris legerentur. Hinc patet, Horatianae Epistolae quantum differant a Ciceronianis, quas summus ille vir, cujus copiosissimo ingenio qua varietas rerum, qua magnitudo largissime suppetebat, ad amicos dedit, arcanorum saepe plenissimas consiliorum atque rerum, quarum quidquam publicari unquam nollet. Qua de causa Poetae Venusini Epistolas non multum abest, quin doctis illis, ut nomine utar ex Rhetorum palaestra petito, μελέταις et artis poeticae ἐπιδείξεσιν accenseam easque scholasticas appellem et umbratiles, quas Tullianis opponit Plinius Epist. Lib. IX. 2. §. 3., siquidem vix una est atque item altera, quae, veri nominis epistola dicenda, ita sit instituta, ut, quae est primaria lex epistolarum, ejus potissimum causa, cujus nomen in fronte gerit, videatur esse scripta; quid? quod in eis haud raro de rebus prolixe est expositum, ut quae, licet a communi hominum elegantiorum captu ac judicio non essent alienae, tamen in scholarum umbra rectius, quam familiari in epistola tractarentur.

§. 2.

Horatianarum vero Epistolarum argumentum universe si spectatur, ad duplex genus mihi videtur revocari posse. Nam in aliis Poëta id egit, ut suam sentiendi agendique rationem vitaeque, quam sequebatur, normam, et vero inprimis suam

cum Augusto ac Maecenate necessitudinem ac familiaritatem nunc tectius nunc apertius explicaret, in aliis suorum ut studiorum atque operae poetica in arte positae veluti causam ageret. Quae omnia quum amicis non possent non esse notissima, aequalibus vero et invidendi et obtrectandi largissimam praeberent materiam, manifestum est, has Epistolas ab Horatio neque scriptas neque publici juris factas fuisse, suos ut amicos meliora edoceret, sed ut partim invidorum malevolentiam retunderet, partim litteratae plebis malignitatem confutaret.

Hinc etiam factum putabimus, ut in his carminibus oratio inveniatur non tam ea; quae Poetae nostri propria est, urbanitate et lepore colorata, quam tacita quadam indignatione ac bile suffusa. Atque Horatius, istorum hominum calumnias et indignitates pertaesus, in his quoque non nunquam ita excandescit ira, ut evomat, quod jussit splendida bilis (Sat. II. 5. 14). Quae cum ita sint, non possum, quin *Mansoni*, accuratae doctrinae elegantisque judicii viro, plane suffrager, qui in libro: *Nachträge zu Sulzers allg. Theorie d. sch. K.* T. IV. Fasc. 2. p. 481. Horatii Epistolarum Syllogen ab ethicis ejus Satiris non nisi inscriptione diversam esse censuit. [1]) Et quum summus ille *Casaubonus de Satyr. Graec. Poesi et Rom. Satir.* p. 229. ed. Ramb. dicit: „*Ferendi non sunt, qui Epistolarum libros Satirarum appellatione ac numero censent excludendos:*" hujus dicti insolentiam tantum abest ut mirer, illud ut et rei natura ac veritate commendatum et satis confirmatum existimem testimonio ipsius Poetae, a quo utrumque carminum librum seu corpus communi *Sermonum* nomine comprehensum intellectumque esse injuria dubitavit *Car. Morgensternius* in Comment. *d. Sat. et Epist. Hor. discrimine* (Lips. et Gedan. 1801.) p 6. Not. 9. [2]) Quod porro *Casaubonus* l. c. p. 227. utramque inter Poematum Syllogen dicit esse discrimen, quorum alia sint *ἐλεγκτικά* h. e. ad notandos, ridendos, interdum et acrius increpandos vitiosos composita: alia ad praecipiendum de virtute et ejus amorem insinuandum, *διδακτικά;* id recte si intelligitur, mihi ut acutissimum videtur, ita etiam verissimum, et quum *Morgensternius* p. 8. sufficere illud negat ad utrumque carminum genus notandum et discernendum, vereor, ne nimis presserit verba *Casauboni*, qui, quum *διδακτικῶν* vim et significationem ad sola virtutis praecepta restringit, eorum ambitum utique parum accurate definit, habuitque *Morgensternius*, quod quaereret: „*in illo ad Claudium Neronem epistolio* (Lib. I. ep. 9.) *quid quaeso didactici inest?*"

1) *Richard Hurdius, Britannus*, in *Proleg. ad Horatii Epist. ad Pisones* p. 6. *vers. Eschenb.* Horatii Epistolas *didactici* alias, alias *elegiaci* argumenti ac generis esse dicens, *didacticas* Satiris origine esse simillimas contendit. *Fr. Astius* de *Platonis Phaedro* (Jenae 1801) p. 31. ab Satiris non nisi eo differre ait Epistolas, quod ad certas scriptae sint personas et majore saepius urbanitate, quippe epistolis necessaria. Ab horum virorum sententia discrepat judicium *Eichstadtii* in *Epist. ad Fr. Astium* p. 170. qui, interna licet similitudo quaedam Satirarum et Epistolarum et usitata earum inscriptio isti sententiae videatur patrocinari, in Epistolis tamen dicit non levem conspici et argumenti et formae et orationis et ipsius denique metri disparilitatem.

2) Communem *Sermonum* ἐπιγραφὴν Epistolis quoque tributam esse probaturus *Casaubonus* inter alia aptissime attulit Epist. 1. 4. 1. *Albi, nostrorum Sermonum candide judex.* Cujus quidem loci vim probandi *Morgensternius* ita elevat, ut dicat, illo, quo haec ad Alb. Tibullum scripta sit Epistola, tempore, nondum absolutam neque curatam esse Epistolarum Syllogen, neque etiam veri esse simile, epistolarum ad alios amicos missarum judicium Tibulli ab Horatio fuisse expetitum. Id quam leve sit, nemo non sentiet, cui mecum de horum carminum scribendorum fine ac consilio conveniet. Ceterum, ut peracute monet *Eichstadtius* l. c. p. 168., ex solis poetae versibus confici nequit, communi *Sermonum* nomine inscriptam fuisse istam carminum sylvam, etsi non prorsus a vero abhorreat. Sed, si quid video, rationibus etiam chronologicis probari et evinci potest, Horatium in Epist. ad Tibullum et item ad Augustum Lib. II. ep. 1. v. 250, ubi *sermones per humum repentes* memorat, de nullis cogitare potuisse poematis, nisi de Epistolis: id quod alio tempore tractaturus sum.

§. 3.

Verum tamen illa si vera sunt, quae de duplici argumenti et rerum ab Horatio in Epistolis tractatarum genere supra monui, nemo, opinor, poetae consilium, pulcherrimam hanc ad Tiberium, Augusti privignum, et scribendi et vero etiam publice edendi Epistolam, non intelliget. Horatius enim ad Tiberium scripsit commendaturus Septimium, juvenem fortem bonumque sibique studiorum elegantia conjunctum, (Vid. m. Comment. *d. Titio Septimio Poeta* p. 4.) eamque Epistolam cum ceteris id genus poematis nulla alia de causa in lucem posthac emisit, quam ut, praesertim quum Septimius, ut ex Epist. 3. Lib. I. v. 9., serius scripta, discimus, studiosae Tiberii cohorti et amicis esset adscriptus, aequales suos doceret, quae sibi cum Augusti privigno intercedat necessitudo quantaque apud eum polleat auctoritate et gratia, et ut simul eos, qui vel inviderent ipsi hanc felicitatem, vel qui, sicut importunus iste homo et sectator, Nostro in Via Sacra obvius (Sat. I. 9.), Urbis Principibus per eum commendari cuperent, Septimii commendatione pungeret.

Non enim mirum est, fuisse Romae haud paucos, qui, quum Horatium, libertino praesertim patre natum, tanta apud Augustum et Maecenatem gratia florere et lautissima liberalitate ab utroque locupletari viderent, hac ei inviderent vitae felicitate ejusque commoda obliquo oculo limarent et odio obscuroque morsu venenarent, ut ipse scribit Epist. I. 14. 37. cl. Sat. I. 6. 46. Atque isti homines invidi quum probe intelligerent, Horatium non generis nobilitate natalimmque splendore Duumviris illis commendatum esse ac percarum, sed ingenii elegantia ac virtutibus carminumque praestantia, quid mirum, si id studiose agebant, ut quovis modo poeticae ejus laudi obtrectarent et carminum virtutes, quas ipsi et sentiebant et agnoscebant domi, (vid. Epist. I. 19. v. 36.) publice arroderent et malevoli imminuerent. Cum hocce hominum invidentium atque obtrectantium grege Horatio nostro per totam vitam, ex quo ei, nascenti poetae, favere coeperant Augustus et Maecenas, digladiandum erat, uti aliquot ex ejus Satiris luculenter docent. 3) Proinde e re sua putavit esse,

ut, quoties modo cunque locus ferebat et occasio, tum invidiosae istius, quae ipsi cum illis Duumviris erat, necessitudinis ac familiaritatis rationem et naturam declararet et patefaceret, tum de suis ipsius aliorumque Artis Poeticae studiis et carminibus quid esset statuendum, explicate diceret. Propterea haec etiam, quae Epistolarum nomine supersunt, poëmata et scripsit per otium et publici juris fecit, quae, ob hoc ipsum, quo scripsit, consilium, generatim ad ἐλεγκτικὰ et διδακτικὰ commode reduci posse arbitror. Neque, id quum dico, ego infitior alias a Poëta versibus scriptas esse epistolas, quae cum istis invidis obtrectatoribus nihil haberent commune, sed hoc contendo, omnia, quae ab ipso Horatio in lucem edita ad nostram pervenerint memoriam, hujus generis ac nominis poemata ad duplicem illum, quem modo significavi, finem spectare, eoque nomine ad Satiras, quae vulgo dicuntur, proxime accedere.

3) vid. m. Comment. *d. Q. Horatii Flacci Obtrectatoribus.* Grimae 1821.

§. 4.

Tametsi hoc dico atque affirmo, tantum tamen abest, ut omne Satiras inter et Epistolas discrimen sublatum velim, ut ipse differentiam quandam earum bene sentiam et agnoscam, quam intulit diversa, qua Horatius scripsit, aetas. Satiras enim composuit adolescens animo acri fervidoque praeditus ingenio; Epistolas, sedatioris vir animi ac paene senex, variis vitae fortunaeque vicissitudinibus jactatus, et multarum rerum factus peritior: hinc in illis passim nobili exardescit ira; in his non nisi raro stomachatur, plerumque ridendo alios carpit ac pungit: in illis saepe non lacessitus hunc illumve acerba irrisione ac vehementi indignatione veluti armatus aggreditur; in his nunquam nisi telis petitus tela retorquet: in illis denique dicax et, prout tempus ac locus ferebat, cum acerbitate petulans; in his severior virtutis vitaeque magister, et εἰρωνείᾳ plerumque salibusque usus vere Atticis sicubi amicos aliosve perfricat, locum habet illud Persii dictum:

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, et admissus circum praecordia ludit:

inprimis vero juvenes, disciplinae adhuc et monitorum patientes, monet amice sapienterque de vita ejusque fine docet. Id vero discriminis derivandum nego ex notione, quam utrique et Satirarum et Epistolarum, proprie sic dictarum, generi subjecit antiquitas, nedum ex forma ac lege epistolarum, qua certae quaevis personae debeat esse inscripta. Hoc si quis cum *Morgensternio* p. 10. 11. urgere velit, haud difficile erit factu probare, Satirarum primam et inprimis sextam Libri I. majori jure epistolarum nomine insigniri, quam, de aliis ut hic taceam, Epistolam undevigesimam Libri I. quippe in qua Maecenatis, quem vers. 1. salutat, nulla fere est habita ratio, nisi forte lepidum Dan. Heinsii commentum secutus legeris v. 8. sqq.

„Forum putealque Libonis
Mandabo siccis, adimam cantare severis."
Hoc simul edixi. 4)

Eodem numero ac loco habendam puto Satiram primam Libri II., quam inscripsit Horatius C. Trebatio Testae, clarissimo illius aevi Icto, (vid. *Bachii Hist. Jurisprud. Rom.* Lib. II. 6. 2. §. 48. p. 265.) quocum totum per carmen familiariter sermocinatur neque privatis de rebus publicisve, sed de suo Satiricae Poesis studio, quod viderat multis fuisse offensioni et odio, illiusque susceptum patrocinium et causam sedatiore agit animo, quam in illa ad Maecenatem Epistola, in qua, postquam vitiosam excellentium, quibus se ipsum tecte interposuit, poetarum imitationem urbane deriserat et, ea quam inepta sit ac ridicula, cum aliis exemplis, tum etiam hoc:

Quid? si quis vultu torvo ferus et pede nudo
Exiguaeque togae simulet textore Catonem
Virtutemne repraesentet moresque Catonis? 5)

docuerat, subita incalescens indignatione et Maecenatis, ad quem scripsit, plane oblitus, exclamat:

O imitatores, servum pecus, ut mihi saepe
Bilem, saepe jocum vestri movere tumultus! 6)

Haeccine infitiabere magis convenire Satirae, quam Epistolae familiari? Namque Horatius, postquam inaudiverat, fuisse, qui, scilicet ut minoribus ab Augusto et Maecenate ornaretur foliis, servilem ipsi Graecorum poetarum imitationem publice exprobrassent, hanc Epistolam chartis mandavit eamque docto Maecenati inscripsit, huic tamen fortasse non prius visam lectamque, quam totus Epistolarum Liber Primus esset editus, in eaque non Patroni sui, cui haec erant notissima, sed obtrectatorum causa exposuit, quo ipse modo Graecos sit imitatus poetas, prae ceteris autem qua cum arte ac laude Parios Jambos primus ostenderit Latio, dum ita de se studiisque poeticis gloriatur:

Libera per vacuum posui vestigia princeps
Non aliena meo pressi pede: qui sibi fidit
Dux, regit examen. Parios ego primus iambos
Ostendi Latio, numeros animosque sequutus
Archilochi, non res et agentia verba Lycamben. 7)

et Alcaeum, non alio prius dictum ore, ut Latinus fidicen vulgaverit, itemque causas, cur ingratus opuscula lector, ipsius Poetae verbis ut utar, laudet ametque domi, premat extra limen iniquus (v. 35.), deinceps attulit has:

Non ego ventosae plebis suffragia venor
Impensis coenarum et tritae munere vestis;
Non ego, nobilium scriptorum auditor et ultor,

Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor:
Hinc illae lacrymae. „Spissis indigna theatris
Scripta pudet recitare et nugis addere pondus,
Si dixi," Rides; ait, „et Jovis auribus ista
Servas; fidis enim, manare poetica mella
Te solum, tibi pulcher." Ad haec, ego naribus uti
Formido, et, luctantis acuto ne secer ungui
„Displicet iste locus" clamo, et diludia posco. [4])

His igitur ex causis invidiam istam et malevolam suae laudis ac carminum obtrectationem repetit. Quas inter si celatam a Poeta videmus principem invidentiae ac livoris causam, est, quod laudemus ejus prudentiam, utqui in poemate, Maecenati dedicato, rem silentio praeterierit offensionis plenissimam.

Quod si porro *Morgensternius* p. 10. nihil interesse dicit, pluribus an uni epistolare poema inscriptum sit personae, atque item perinde esse, sitne ea in rerum natura, nec ne, modo si in Poetae mente sit, quo ex genere Epistolam XX. Lib. I. laudat, quam Horatius *Libro suo* inscripsit, equidem huic sententiae, per se spectatae, minime intercedo, sed tamen mox a me proferentur, quae nativam istam epistolarum, Horatianis accommodatam, notam aliquantulo faciant incertiorem.

4) Interpretes hoc de loco dici non potest quantopere hallucinati sint. *Puteal*, proprie operculum putei, Gloss. *περιστόμιον* i. e. *τὸ τοῦ φρέατος στόμα*, et *bidental*, etsi utrumque dicebatur de locis fulmine tactis, tamen ita differebant, illud ut significaret aram s. suggestum e lapidibus constructum et superne apertum foramine, hoc vero locum mactata per haruspicem bidenti expiatum et sepimento clausum. Quo ex genere fuit *Puteal*, quod Attii Navii, auguris, coti et novaculae humi in Comitio defossae impositum ait Cicero d. Divin. Lib. I. c. 17. qua de re Dionysius Halicar. Lib. III. c. 72. *ὀλίγον ἄποθεν αὐτῆς ἥτε ἀκόνη κεκρύφθαι λέγεται καὶ ὁ ξυρὸς κατὰ γῆς ὑπὸ βωμῷ τινι* ibique Reiskius T. I. p. 592. sq. et cfr. Intpp. ad Festum s. v. *Navia ficus* p. 266. ed. Dac. Hoc Navianum Puteal a *Sigonio* d. *antiq. jur. Rom.* Tom. II. p. 504. aliisque confusum cum Scriboniano i. e. Puteali Scribonii Libonis, cujus hic meminit Horatius, primus distinxit Salmasius ad Solin. p. 801. De hoc testatur Porphyrion Schol. ad h. l. p. 435 (ed. Basil. 1555.) *Puteal Libonis sedes Praetoris fuit prope arcum Fabianum dictum, quod a Libone illic primum tribunal et subsellia collocata sint.* Schol. Cruq. *putealque Libonis i. e. tribunal, quod autem ait Libonis, hinc sumsit, quod is primus tribunal in foro statuerit.* Itemque Festus s. v. *sceleratus campus: Scribonianum appellatur ante atria puteal quod fecit Scribonius, cui negotium datum a Senatu fuerat, ut conquireret sacella attacta; isque illud procuravit: quia in eo loco attactum fulgure sacellum fuit. Quod ignoraretur autem ubi esset (ut quidam) fulgur conditum, quod, cum scitur, nefas est integi, semper foramine ibi aperto coelum patet:* uti hic locus valde mutilus legitur in edit. Dacer. p. 487. Jam VV. DD. ambigunt, quem intelligant Scribonium Libonem, cujus *Puteal* tum hic, tum Sat. II. 6. v. 35. *Ante secundam*

Roscius orabat sibi adesses ad Puteal cras etc. ab Horatio significetur. Dan. Heinsius ad Horat. itemque Glandorpius in Onom. p. 771. intelligunt L. Scribonium Libonem, familiarem Pompeji M. et Sexti socerum, qui, devicto suo genero, quem secutus fuerat, ad Antonium se contulit et per eum in Urbem reductus ejus in Consulatu collega fuit a U. C. 720. Sed equidem non dubito, quin illius *Putealis* conditor habendus sit L. Scribonius Libo, qui Praeture functus est M. Cornelio Cethego et P. Sempronio Tuditano Coss. a. U. C. 550., cui eodem anno, quo etiam Mater Deum Pessinunte Romam est advecta, teste Livio Lib. XXIX. c. 11., a Senatu locorum de coelo tactorum curam et expiationem demandatam fuisse, mihi perquam verisimile est. Ad hunc Libonem Glandorpius mihi non temere videtur referre numisma, in cujus altera parte scriptum legitur: *Libo bon. event.*, capite ipsius expresso; in altera: *puteal Scribonii*, tribunalis simulacro adjecto. Ita parum accurate Glandorpius in Onom. p. 771., cujus, quo utor, exemplaris margini nescio quis adscripsit; „*Eine solche Münze fand Dr. Hanisch, Erbherr auf Riesa und Merzdorf, als er 1783 eine alte Eiche ausroden liess, vier Ellen tief unter der Erde.*" Ez. Spanhemius d. Us. et Pr. Num. Diss. X. p. 189 duo Scriboniae gentis numos protulit, in quibus Puteal arae simillimum conspicitur, cui adscriptum: PUTEAL SCRIBON. et subscriptum: LIBO suspensique utrimque urceoli. Qui a Lambino ad Horatii Sat. II. 6. v. 35. p. 172. expressi sunt duo numi, eorum alterum suspicor esse, si non eundem, tamen simillimum ei, quem Glandorpius l. c. vidit et descripsit. In adversa enim ejus parte visitur caput; in margine dextram versus legitur: BON. EVENT., sinistrorsum pone actypae imaginis occiput: LIBO.; aversa numi pars, in qua superne PUTEAL., infra SCRIBON. legitur, effigiem exhibet altaris, sertis coronati, appensis ab utroque latere situlis, in ejusque basi conspicitur malleolus. Alter Lambini numus Scribonio Liboni cum Paulo Aemilio Lepido communis est, siquidem adversa ejus pars femineum repraesentat caput, appositis sinistro margine nominibus: PAULLUS LEPIDUS. et dextro: CONCORD.; in aversa ejus parte conspicitur idem Puteal, praecedenti simillimum, si discesseris a malleolo, pro quo forceps est expressa. Ejusdem fere formae numos descripsit C. B. Lengnich in *Allg. Lit. Zeitg.* 1791. *Intellig. Bl. N.* 13. *p.* 104. Jam vero quaeritur, Horatius quid Scriboniani Putealis mentione voluerit indicare? Scholiastae, ut vidimus, de Praetoris tribunali explicant, neque huic interpretationi verbum *edicere*, Praetoris proprium, non patrocinatur, ita ut Horatius, quem voc. *forum* universa pro caussis forensibus posuisse manifestum est, de poetarum more, notioni generali subjecerit specialem denotationem rerum judicalium, quas, qui agere vellent, eos sobrios et abstemios vini esse oportebat. De Praetoris tribunali illa verba accipiunt, praeter plurimos Horat. Interpr., etiam *Alex. Donatus* in *Roma Vet. et Rec.* Lib. II. c. 12. p. 147. et *Heineccius* in *Syntagm. Antiq. Rom. Jurispr.* Lib. IV. Tit. V. §. 2. p. 654. qui, *Sigonium* secutus, et Navianum Puteal cum Scriboniano confundit, et ad hoc judices jurasse dicit, nihil obsecutus Torrentii ad Horat. Sat. II. 6. v. 35. p. 594. monitis. Torrentius enim ex Acronis Schol. adnotatione p. 384.: *Puteal locus Romae, ad quem conveniebant feneratores. Alii dicunt, in quo tribunal solebat esse. Praetoris:* merito priorem praetulit sententiam, quoniam alii scriptores *Puteal* in re feneratoria memorerint, ut Ovidius. Rem. Amor. 561. *Qui Puteal Janumque timet, celeresque Calendas,*

Torqueat hunc aeris mutua summa sui. Ubi de *Puteali* consule Burmannum T. I. p. 752., sed de *Jano* perdoctam disputationem *Cel. Beieri* ad Cic. de Off. Lib. II. c. 25. T. II. p. 169—176. Cicero pr. Sextio c. 8. *puteali et feneratorum gregibus inflatus atque perculsus* n. Gabinius, ubi vid. Interpp. in G. Garatonii edit. T. VIII. p. 36., quos inter Ursinus voc. *Puteal* de praetoris tribunali seu basilica, in qua Praetor jus dicebat, accipit, uti Lambinus ad Horat. Sat. l. c. Huc etiam pertinet perobscurus Persii locus Sat. IV. v. 49. *Si Puteal multa cautus vibice flagellas.* Ubi Schol. Vet.: *„Feneratores ad puteal Scribonis Licinii, quod est in porticu Julia ad Fabianum arcum consistere solebant.“* quo in Scholio quum Mss. *Libonis* habeant, teste Pithoeo in edit. Achaintrii p. 199., certum est, mendum trajectione litterarum ortum esse et emendandum *Scribonii Libonis.* Torrentium secutus est Heindorfius l. c. p. 388. qui accommodate contulit Cicer. pr. Quintio c. 6. *Naevius — suos necessarios ab atriis Liciniis et a faucibus macelli corrogat, ut ad tabulam Sextiam sibi adsint hora secunda postridie* etc., quo proberet v. *adesse*, quod Horatii Interpp. fraudi esset, etiam de re pecuniaria dici. cfr. Ernestii Clav. s. v. *puteal* et adde pr. Caecina c. 6. Atque ideo verisimiliter Heindorfius n. loco *forum* de rebus judicialibus, *putealque Libonis* de foeneratoriis interpretatur, ut ab Horatio duplex negotiorum genus significetur, in quibus tractandis ut sobrii sanique simus, opus est. Ceterum utramque Scholiastarum interpretationem voc. *Puteal* de Praetoris tribunali et feneratorum sede conciliare inter se conati sunt Torrentius et *Stockmannus* in *Chrestomath. Jur. Horat.* Spec. IX. p. 10. sq. Lips. 1810. Quidquid ejus rei est, id patet, a Praetore sumptum esse, illud *edixi*, quod pari lepore Horatius usurpavit Sat. Lib. II. 2. 51. 3. 227. Restituit e Codd. *edixi*, lectionem unice veram, Bentlejus, probatam etiam Torrentio, quam Baxterus, Wetzelius et Zeunius, ineptis usi argutiis, inficete rejecerunt. Jam edictum hoc cui sit tribuendum, *Cratino*, *Baccho*, an *Ennio*, ambigit Lambinus ad h. l. p. 294. et multa argutatus pro Cratino decernit; Cruquius *Ennii* esse contendit: quo factum, ut Ennii inter Fragmenta Annalium ab Hier. Columna receptum compareat p. 126 ed. Hessel. Hos deridens Dan. Heinsius ad h. l. p. 57. conjecit: *Haec simul edixti* et ad Maecenatem referens adjecit: *solebat Maecenas, vir divinus et poetarum fautor, litis suis clientibus, Homeri, primi apud Graecos, Ennii apud Romanos, exempla proponere, quos cupidissimos vini fuisse constat: et edicti instar pronuntiare, judicia et forum sobriis et siccis convenire, poetam sine vino esse neminem. Ex eo enim tempore, inquit, poeta, numquam sobrii fuerunt. Tota enim epistola simul isti et inepti perstringuntur.* Consulto haec adscripsi, quippe postrema acute ac verissime sunt monita; ipsam vero conjecturam, inventam quidem a Car. Fea in aliq. libr., vanam esse, nemo non intelligit, qui Horatium ejusque cum Maecenate necessitudinem noverit et hujus Epistolae perspexerit acumen. Nam post aliorum poetarum exempla ac testimonia lepide addit suam ipsius sententiam, quam fingit a se alicubi propositam et quam cum tecta quadam irrisione dicit aequales poetas cupide amplexos et tanquam Praetoris edictum secutos, quo veriores esse viderentur poetae. Frustra sunt, qui, ubinam Horatius haec dixerit, in convivio an carmine quodam, ut Od. III. 25. Epist. I. 5. 16 sqq. studiose quaerunt. Eundem colorem in Platonis Epigram. III. in An. Br. T. I. p. 103. ed. Lips. agnovit Jacobs in Animadvers. Vol. I. P. 1. p. 339.

6) Horatius contra eos, qui externo habitu poëtas a ceteris hominibus differre debere opinantes, tum hujus cultus imitatione, tum solo ad veterum poetarum exemplum vini potu se ipsos fieri poetas existimarunt, cavillando ita argumentatur, ut eum, qui externum Catonis cultum affectet, ideo ejus ingenium ac mores aequare neget. Sermo est de Catone Uticensi; qui, teste Plutarcho in Vit. ej. c. 6. T. IV. p. 371. R. *καθόλου δὲ τοῖς τότε βίοις καὶ τοῖς ἐπιτηδεύμασιν ὁ Κάτων τὴν ἐναντίαν ὁδὸν οἰόμενος δεῖν βαδίζειν, ὡς οὖσι φαύλοις καὶ μεγάλης δεομένοις μεταβολῆς, ἐπεὶ πορφύραν ἑώρα τὴν κατακόρως ἐρυθρὰν καὶ ὀξεῖαν ἀγαπωμένην, αὐτὸς ἐφόρει τὴν μέλαιναν. Πολλάκις δ' ἀνυπόδητος καὶ ἀχίτων εἰς τὸ δημόσιον προῄει μετ' ἄριστον, οὐ δόξαν ἐκ ταύτης τῆς καινότητος θηρώμενος, ἀλλ' ἐθίζων ἑαυτὸν ἐπὶ τοῖς αἰσχροῖς αἰσχύνεσθαι μόνοις, τῶν δ' ἄλλων ἀδόξων καταφρονεῖν.* cfr., praeter Balduin. d. Calceo antiq. c. 23. p. 221., inprimis Cel. Beierus ad Cic. d. Offic. Lib. I. c. 31. T. 1. p. 239. Cato igitur, ille *Justitiae cultor, rigidi servator honesti*, cui, ut Lucanus Lib. II. 384. canit: — *epulae, vicisse famem; magnique Penates Submovisse hiemen tecto: pretiosaque vestis Hirtam membra super Romani more Quiritis Induxisse togam;* habuit, qui ipsum simularent *exiguae togae textore*, pro qua voce Muretus e Mss. dedit *tesquore*, i. e. squalore. Hanc lectionem, probatam Lipsio in Dissert. d. toga candida in Electt. I. 13. et, quod miror, Casaubono ad Theophr. Char. X. p. 133. F., merito rejecerunt Lambinus, Turnebus Advers. XVII. 22. aliique et nuper Car. Fea, qui *textore* accipit p. *textura*, ut Epist. I. 1. 91. *tonsore* pro *tonsura:* quem locum parum apte comparari, recte monet Doeringius. Aptiora nescio an sint loca Sophoclis Oed. Rex. v. 1140. ed. Herm. — *ἐκεῖ τὰ σὰ δεῖται κολαστοῦ μᾶλλον. ἢ τὰ τοῦδ' ἔπη:* ubi *κολαστοῦ* per metonymiam dictum videri potest pro *κολάσεως*, et Juvenalis Sat. I. v. 13. *Frontonis platani, convulsaque marmora clamant Semper et assiduo ruptae lectore columnae* h. e. assidua lectione s. recitatione poematum. De ipsa voce *textor* videsis Garatonium ad Cicer. Orat. pr. Plancio c. 25. p. 149 ed. Orelli. Hoc loco inservit periphrasi vv. *togae exiguae* i. e. curtae, adstrictioris, cujusmodi togas gestabant homines austeriores et pauperiores, ideoque Poeta Lollio juveni, potentiorum gratiam affectanti, praecipit Epist. I. 18. v. 30. *Arta decet sanum comitem toga.* Homines contra divites ac delicati notantur ab amplitudine ac laxitate togae, ut Sext. Maenas, Pompeji libertus, cujus nomen recte, ut alias docebo, praefixum est Epodo IV. v. 7. *Videsne, Sacram metiente te viam Cum bis trium ulnarum toga, Ut ora vertat huc et huc euntium Liberrima indignatio?* ubi vid. Iotpp., inpr. *Böttiger* in *Erkl. Anmerk. z. Horaz.* Braunschw. 1793. T. II. p. 306. Inter Horatii aequales tametsi plurimi fuerunt, quales jam viderat Cicero pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut bene barbatos, manicatis et talaribus tunicis, velis amictos, non togis, ut ait Orat. II. in Catil. c. 10. §. 22. ibique Matthiae p. 136.; tamen fuerunt etiam, qui simularent illos Romanos, quos, ut ait Silius Italicus Lib. I. v. 612. *Facta animosa viros et recti sacra cupido Attollunt, curtaeque togae, neglectaque mensa, Dexteraque a curvis capulo non segnis aratris;* ubi hoc loco pr. Vulg. *hirtaeque comae* e cod. Colon. cum Modio et Lefeb. de Villebrunio legendum recte censuit Ruperti, quem videsis in Not. Crit. T. I. p. 83. Honestiori sane loco ac numero habendi sunt illi Catonis aemulatores, qualis fuit *Favonius*, de quo dictum a me est in Coment. *d. C. Licinio Calvo* p. 33., et *Cornutus*, bonus iste Tribunus, quem *Pseudo-Catonem* appellat Cicero I. ad Attic. ep. 14. Horatius autem h. l. Catonis exemplo utitur, quo

acerbius perstringat in genere stultam aequalium imitationem poetarum, qui externam clarorum vatum speciem et mores aemulati poeticam etiam eorum laudem adipisci se posse opinabantur. Eandem imitandi perversitatem carpit etiam in Epist. ad Pisones a v. 295 sqq. et sicut Maecenati scribit v. 3. *Ut male sanos Adscripsit Liber Satyris Faunisque poetas, Vina fere dulces oluerunt mane Camenae:* h. e. ex quo (ita voc. *ut* legitur Epod. III. 9. Sat. II. 2. 128.) Bacchus poetas in suum ascivit consortium, de quo v. *Passow* ad *Persii Prolog.* p. 219., poetas ait post nocturnas compotationes plerumque a primo mane fuisse ebrios atque ita quaesivisse ἐνθουσιασμόν, quo ad scribenda carmina incalescerent, siquidem, auctore Propertio Lib. IV. 6. 75.: *Ingenium potis irritat Musa poetis;* sic in Epistola ad Pisones, quia excluserit sanos Helicone poetas Democritus, scribit de aequalibus v. 297. — *bona pars non ungues ponere curat Non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.* Atque in utroque loco eundem agnosco orationis satiricae colorem pariter atque idem consilium scribendi h. e. insectandi et suggillandi obtrectatores. Et sicuti Catonis mentione, istud imitandi studium quam stultum sit ineptumque declaravit, ita quam periculosum etiam illud nonnunquam sit, v. 15 sq. Jarbitae exemplo lepide docet: vid. m. Comment. d. *Jarbita, Timagenis aemulatore,* Grimae 1820.

6) Indignabundus propter obtrectatorum malignitatem, qui ipsi servilem Graecorum objecissent imitationem, apostrophe usus exclamat: *O imitatores*, quos *servum pecus* appellat ob illiberalem et vitiosam aliorum poetarum imitationem. Illorum autem *tumultus* vix dubium mihi est, quin significent obtrectatorum vituperia et maligna de Horatii poematis judicia publice nec sine magno strepitu et arroganti vanitate facta. Torrentius cogitat de trepidatione et cura in imitatione aliorum; Haberfeldtus cum aliis de studio aliorum excitandi attentionem: neutra placet sententia, nedum Schol. Cruq. et Lambini ratio, qui de mentis turbationibus explicant.

7) Poeta, cujus animum dolore quodam atque indignatiuncula affectum ipse elatioris orationis color testatum facit, h. l. ostendit, quam alienus sit a servili Graecorum imitatione, utqui primus ap. Romanos intentatam aliis viam ingredi fuerit ausus. Igitur *vestigia posui*, inquit, (vid. Heindorf ad Sat. II. 6. 102. p. 400.) *libera*: quibus verbis se opponit *servo* isti *imitatorum pecori*, praesertim quum *per vacuum*, i. e. a nullo dum occupatum, ingressus sit locum. De hereditate dicitur Sat. Lib. II. 5. 50. *in vacuum venire:* ibique Intpp. Callimachus Epigr. VIII. 1. dixit καθαρὴν ὁδόν i. e. viam ante nulli tritam, ut, praeter *Toupium Emend. in Suid.* P. II. p. 565., etiam *Huschkius* in *Epist. Crit.* p. 4. explicat. Addi potest Callimachi Fragm. N. 293. ἑτέρων ἴχνια μὴ καθ' ὁμά; ubi Bentlejus p. 541. Virgil. Georg. III. v. 292. *Juvat ire jugis, qua nulla priorum Castaliam molli devertitur orbita clivo.* Quibus adde Propert. Lib. III. 1. v. 17. *Sed, quod pace legas, opus hoc de monte sororum Detulit intacta pagina nostra via.* Antipater Thessal. Ep. XXIV. in Br. Anal. II. p. 115 (ed. Lips. p. 101.) v. 5. *Εἰ τὰν ἄτριπτον καὶ ἀνέμβατον ἀτραπὸν ἄλλοις, Μοῦσαι.* Et Oppian. Cyneg. I. v. 20. Ἔγρεο, καὶ τρηχεῖαν ἐπιστείβωμεν ἀταρπὸν τὴν μερόπων οὔπω τις ἑῇς ἐχάραξεν ἀοιδαῖς; ubi Rittershusius p. 5. larga, ut solet, manu similia collegit loca. Poetae enim, novum aggressi poeseos genus, a

nemine hactenus occupatum, aut avia Pieridum loca peragrare se dicunt, aut Permessidos undis labra proluere: vide, praeter *Mitscherlich.* ad Horat. I. od. 26. v. 6., inprimis *Passow* ad Persii Prolog. v. 1. p. 206. cl. ad Sat. I. 105. p. 334. Utrumque dicendi modum usurpavit Lucretius Lib. IV. v. 1—5. *Avia Pieridum peragro loca, nullius ante Trita solo: juvat integros accedere fonteis, Atque haurire; juvatque novos decerpere flores, Insignemque meo capiti petere inde coronam, Unde prius nulli velarint tempora Musae:* quem locum jam Lambinus contulit. In seqq. Car. Feae interductum sequendum puto: *qui sibi fidit Dux, regit examen:* ubi Porphyrion p. 436 *imitatus regem apium.* Id quidem dubito, quamvis sollemnis sit haec poetarum cum apibus comparatio, ut docent *Mitscherlich* ad Horat. IV. od. 2. v. 27. et quos laudat amicissimus *Greg. Guil. Nitzschius* ad *Platonis Jon.* p. 38., nisi forte Poeta subjectam esse voluerit denotationem caeci impetus, quo, ut apes regem s. reginam, ita isti imitatores se sequantur ducem ac veluti antesignanum. Qui, ut *Haberfeldtus*, voc. *primus* ad Epodos referunt, tanquam poetica Horatii juvenis rudimenta, ii magnopere errant, quum Epodos post utrumque Satirarum Librum a Poeta scriptas idoneis argumentis evicerit Bentlejus. Horatius prudens, si quid sentio, hanc sibi soli vindicat laudem; id quod mirum nemini videbitur, qui meminerit, quam contemptim de *Catullo et M. Furio Bibaculo* eorumque poematis statuerit: vid. Sat. I. 10. 19. et v. 36. cf. Comment. m. *d. Turgido Alpino.* Grimae 1822. Utrumque enim poetam Horatio antiquiorem, Jambographos diserte dicit Quintilianus J. Or. Lib. X. 1. §. 96. cl. Diomedes Gr. Lib. III. p. 482. P. *Jambicum est carmen maledicum plerumque trimetro versu et epodo sequente compositum. Appellatum est παρὰ τὸ ἰαμβίζειν quod est maledicere* (vid. *Liebel.* ad *Archilochi Reliq.* p. 15. Not. m. et *Fr. Ast. Grundr. d. Philologie* p. 83. Not. 82.) *Cujus carminis praecipui scriptores ap. Graecos Archilochus et Hipponax, ap. Romanos Lucilius et Catullus et Horatius et Bibaculus.* Quid? quod etiam, teste Plutarcho in Vit. Caton. c. 7. T. IV. p. 372. R., Cato, Scipioni ob Lepidam sibi desponsam iratus, ὀργῇ καὶ νεότητι τρέψας ἑαυτὸν εἰς ἰάμβους, πολλὰ τὸν Σκιπίωνα καθύβρισε, τῷ πικρῷ προσχρησάμενος τοῦ Ἀρχιλόχου κ. τ. λ. Idcirco Horatius non sine acumine quodam et aculeis in obtrectatores et Catulli cantores (vid. Comment. m. d. *C. Licinio Calvo.* p. 25. N. 28. Grimae 1825.) ita gloriatus esse videtur. Ceterum, uti acute observavit *Eichstadtius* in *Additam. ad Haberf. edit.* p. 229. cum virtute Horatius h. l. posuit *ostendi:* quod ut gr. δεικνύναι et ἀναδεικνύναι, (vid. *Mitscherlich.* ad Hom. H. in Cer. v. 475. p. 224.,) a Mysteriis, ad Musarum sacra, quae etiam ὄργια dicebantur, ut Propertio Lib. III. 1. 3. *Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos Itala per Graios orgia ferre choros:* translatum est, ut in Hermesianactis Eleg. Fragm. v. 47. *Λέσβιος Ἀλκαῖος δὲ πόσους ἀνεδείξατο κώμους, Σαπφοῦς φορμίζων ἱμερόεντα πόθον.* cf. *Ilgen* in *Opusc. Phil.* T. I. p. 300. Jam in scribendis Jambis Horatius negat secutum se esse *Archilochi res et agentia verba Lycamben:* quibus verbis simul se a nimiae maledicentiae et mordacitatis crimine defendit, cujus eum vel ob Satiras fuisse insimulatum, discimus ex Sat. Lib. II. 1. v. 1., licet parem Jamborum acerbitatem ac virus esset minatus Cassio Severo Epod. VI. v. 11. *Qualis Lycambae spretus infido gener, Aut acer hostis Bupalo. An, si quis atro dente me petiverit, Inultus ut flebo puer?* ubi vett. Schol. et recent. Intpp. de Lycambae et Neobules filiae fatis

et Archilocho exposuere, quibus, praeter *Liebelii Archil. Rel.* p. 15., addenda est docta disputatio *Huschkii* in *A. Matthiae Miscell. Philol.* Vol. I. p. 13 sq. Non igitur *res* et *verba* Archilochi (vid. Heindorf. ad Sat. I. 4. v. 47. p. 97) est imitatus, *sed numeros et animos*: quod posterius non tam de animi acerbitate in perstringendis aliorum vitiis et rabie, quae Parium poetam, ut A. P. v. 79. dicitur, proprio armavit Jambo, acceperim, si quidem in seqq. Archilochiam virulentiam consulto se dicit vitasse, quam de spiritu poetico, acri et excelso (*poetisches Feuer, Begeisterung*), quem expressit iisdem *numeris* i. e. *ῥυθμῷ*, *metro*: nam Censorinus c. 13. *Metrum graece*, inquit, *latine numerus vocatur*. Ita, sec. Nostr. Lib. IV. od. 2. v. 10. *Pindarus per audaces nova dithyrambos Verba devolvit, numerisque fertur Lege solutis*: et in A. P. v. 74. *Res gestae regumque ducumque et tristia bella, Quo scribi possent numero, monstravit Homerus*, ubi pro *numero* in aliq. Codd. *metro*, ex glossemate, invenit Car. Fea. Utrumque verbum explicat ipse v. 27. vv. *modos et carminis artem*, a quibus discedere timuerit. Metrum igitur Archilochi ita secutus erat Horatius, ut verendum ei esset, ne apud fatuos obtrectatores in servilis imitationis reprehensionem incurreret, quare v. 28. scripsit:

Temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho,
Temperat Alcaeus, sed rebus et ordine dispar:
Nec socerum quaerit, quem versibus oblinat atris,
Nec sponsae laqueum famoso carmine nectit;

quae verba cum Bentlejo ita ordinanda puto: *Sappho temperat, Alcaeus temperat M u s a m pede Archilochi.* Bentlejo *pes* est versiculus integer, ut Lib. IV. od. 6. 35. *Lesbius pes* i. e. integra stropha Sapphica, et A. P. v. 81., ubi sermo est de Archilochi jambo, legitur *Hunc socci cepere pedem grandesque cothurni* i. e. senarium. Ita Sat. I. 4. 7. Lucilius priscae Comoediae scriptores secutus esse dicitur *mutatis* tantum *pedibus numerisque*, quia iste Auruncae alumnus, etsi non omnes, plerasque tamen suas Satiras heroico versu composuit. Bentlejus igitur de diversis versuum generibus cogitavit, quibus usus sit Archilochus, quae recensuit *Liebel* l. c. p. 23. sqq. Populari suo adstipulatus est Marklandus ad Statii Sylv. 1, 2. v. 9., ubi erudite, ut solet, de v. *pes* exposuit *Handius* meus p. 163. sqq. T. I. Verum tamen nescio, an non rectius h. l. *pes* angustiori sensu de Jambo accipiatur, quo Sappho et Alcaeus suam Musam temperarint h. e. suis carminum metris Jambum adaptarint, adnexuerint et ita quasi miscuerint, numeros uterque suos ita quasi modulati: quo sensu dicitur *temperare* ap. Horat. Lib. I. od. 12. 15. IV. 3. 18. ibique Mitscherlich. Hanc rationem video etiam J. H. Vossium esse secutum, qui h. l. ita convertit:

Stimmt nach Archilochos Fuss doch den Ton auch Saffo die Männin,
Stimmt doch Alcäus ihn auch; ungleich nur an Stellung und Inhalt:
Denn nicht sucht er den Schwäher mit schwarzem Gedicht zu besudeln
Noch auch schlingt er der Braut im entehrenden Liede das Seil um.

Quo factum est, ut Archilocho dispares essent etiam *ordine*, non tantum *rebus*, cum non famosa et contumeliosa scriberent carmina, sed lyrica. Ego enim non dubito, quin haec verba *κατὰ τὸν διάνοιαν* de utriusque carminibus sint explicanda, licet v. 32. *Hunc* non

ad Archilochum, sed ad solum *Alcaeum* sit referendum, ut probavit Bentlejus: qui tamen, quum Sapphonem ab Horatio hic, ubi suam lyricorum poetarum imitationem memorat, omissam suspicatur, quod ante ipsum Catullus et alii Sapphica quaedam ediderint, propter ea, quae supra de Catullo et Bibaculo, Jambographis, dixi, valde vereor, ut haec causa silentii omnibus faciat satis. Nam Horatius, dum Alcaeum nominatim memorat, non magis h. l. Sapphonem excludit, quam Lib. IV. od. 9. ubi *Alcaei minaces Stesichorique graves Camenas* et *Anacreontis lusus* laudat, quos poetas per artes non ante vulgatas imitatus verba chordis socianda sit locutus nunquam interitura. Quamquam hic disertam Sapphus mentionem omittit, tamen Lib. III. od. 30. eam cum Alcaeo jungit et gloriatur v. 13. *Princeps Aeolium carmen ad Italos Deduxisse modos.* Ceterum Sappho h. l. *mascula* appellatur: de quo voc. ingens est VV. DD. dissensus, dum alii illud ad animum ejus virilem et fortem, quo de rupe Leucata se praecipitaverit, alii ad ingenium ejus poeticum, viris proprium, alii denique ad masculos ejus in puellas amores referunt, quam rationem amplexus est *Volgerus* in *Sapphus Carm. et Fragm.* (Lips. 1810.) p. XXXII. sq. Jure autem *Buttmannus* in *Comment. Soc. Berol.* a. 1804 — 1811. *Ueber d. Geschichtliche u. d. Anspielungen im Horaz* p. 42. hic cum Baxtero agnoscit Dilogiam, eique assentitur *Fr. G. Welkerus* in lib. *Sappho, von einem herrschenden Vorurtheil befreyt.* Götting. 1816. p. 115 et 123. sqq.

8) v. 37. Hic locus plurimum lucis lucratur ex Sat. I. 10. ubi v. 81 sqq. percenset eos, quorum, ut h. epist. v. 35. gloriatur, ingenuis oculis legi manibusque teneri juvabat ipsum *immemorata ferentem* h. e. *dicentem a nullo ex Latinis ante dicta*, ut bene Schol. Vetr. Sed haec quoque, si quid judico, ut supra v. 24. *ostendi*, tanquam μυστηριωγός sensu praegnanti dixit, et cuivis hic succurrent τὰ ἄῤῥητα Graecorum et illae παρθένοι ἀῤῥηφόροι s. ἀῤῥητοφόροι, ut ex Codd. Mss. Dionysii Halic. Lib. II. c. 22. enotavit Reiskius T. I. p. 280., memoratae a Pausania Lib. I. c. 27.: ibique *Siebelis* V. Cel. T. I. p. 95. 96. In illorum igitur amicorum judicio atque applausu quum Horatius posset acquiescere, non erat, uti etiam ex ipsa Sat. cit. v. 78. consolatur, quod Pantiliorum, Demetriorum, Fanniorum aliorumque id genus cimicum morsiunculas curaret. Neque istorum invidiae et obtrectationes mirum eum poterant habere, quum favorem eorum non eis sibi emeret artibus, quibus alios significat venari solere *suffragia ventosae plebis.* Quibus in verbis aeque manifestum est, similitudinem a Candidatorum ambitu petitam esse, ac certum, *plebem ventosam* non eo sensu dici, *quo mobilium turba Quiritium* Lib. I. od. 1. v. 7. ibique *Mitscherlich*, quo tamen vi omnes, quod sciam, Interpp. h. v. acceperunt: cf. *Hulsemann* ad *Euripid. Jon.* v. 600. p. 226.; sed h. l. intelligendam puto *plebem litteratam*, quam dicit *ventosam* i. e. *mendacem*, ut recte Schol. Cruq. explicat, quoniam coenarum impensis aliisque muneribus eblandita erant ideoque mendaci assentatione adulterata suffragia ista i. e. laus et applausus istorum hominum, qui, sicut ille ap. Petronium c. 10., ut foris coenarent, poetas laudarunt, et inde non inurbane *Laudicoeni* vocati sunt, auctore Plinio Lib. II. ep. 14. §. 15 ibiq. *Gierig* T. I. p. 164. Hanc interpretationem cum alia stabiliunt, quae deinceps in medium proferentur, tum maxime ipse Poeta, qui Epistol. II. 3. v. 419 ejusdem ambitionis vanitatem et indignitatem notans scribit:

———

Ut praeco, ad merces turbam qui cogit emendas, Assentatores jubet ad lucrum ire poeta, Dives agris, dives positis in foenore nummis. Si vero est, unctum qui recte ponere possit, Et spondere levi pro paupere, et eripere atris Litibus implicitum; mirabor, si sciet inter-Noscere mendacem verumque beatus amicum; et Pisonem juvenem dehortaturus, ut ne unquam tali modo auditores sive potius assentatores ambitiose corrogot, addit v. 426. *Tu seu donaris, seu quid donare voles cui, Nolito ad versus tibi factos ducere plenum Laetitiae; clamabit enim „Pulchre!" „Bene!" „Recte!"* unde dicti sunt isti homines, teste Plinio l. c., *Σοφοκλεῖς*, quoniam plaudentes recitantibus gr. ὀρθῶς, εὖ, ὑπέρευ, σοφῶς acclamabant: qui acclamandi mos, ortus *ἐν ταῖς τῶν ἀκροάσεων σοφιστῶν ἐπιδείξεσιν*, ut testatur Plutarchus, docente Casaubono ad Theophr. Char. II. p. 52. ed. Fisch., Romae, jam Ciceronis aetate, ut ex Lib. III. d. Orat. c. 26. discimus, invaluit et temporis progressu in summam degeneravit foeditatem: vid VV. DD. quos citant *Thorbecke Comment. d. Asin. Pollione p. 107.; Passovius* ad Pers. Sat. I. v. 48. p. 276. *F. A. Wolf.* ad *Cicer. pr. Marc.* p. XIX. Maxime huc facit festivum illud in Pomponium Epigramma Martialis Lib. VI. 48. *Quod tam grande sophos clamat tibi turba togata Non tu, Pomponi; coena diserta tua est.* In vv. *tritae munere vestis* inest acerbe vanissimae irrisio sequalium vatum λιμοδείπνων, a quibus clientes coena invitatos et vestibus, quas ipsi gestaverant, donatos dicit, quo impensius venalis ista turba Patronum, sua recitantem poemata, laudaret: id quod acute Martialis v. *coena diserta* significat. Ita *Rufo*, famosus fenerator, quem Horatius Sat. I. 3. v. 86. exagitat, debitoribus suis, quas scripserat historias, praelegebat nec poterant isti, si solvendo essent impares, ejus acerbitatem mitigare, nisi recitanti, porrecto veluti jugulo, patienter auscultarent. Jam Schol. Cruq. accommodate contulit locum Persii Sat. I. v. 53. sqq.

Calidum scis ponere sumen:
Scis comitem horridulum tritâ donare lacernâ:
Et, „Verum," inquis, „amo: verum mihi dicite de me."
Qui pote? — vis dicam? „nugaris, quum tibi, calve,
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extet." —

cujus loci vim et virtutes Passovius felicissime in nostrum sermonem transtulit:

Du verstehst dich zu dampfenden Schweinepasteten,
Kannst dem fröstelnden Freund vertragene Mäntel verehren,
Und sprichst: „Saget von mir die Wahrheit. Ich liebe die Wahrheit." —
Wer kann? — Doch soll ichs? „Glatzkopf, ein Sudeler bist du,
Dem der gemästete Wanst drey Spannen und drüber hervor guckt." —

Hic etiam Persii locus, ex Horatiano expressus, docet, cur Horatius nolit aucupari suffragia plebis, utpote quae vana sint et ementitam scriptoribus ferant laudem. Negat igitur, hujuscemodi laudem et applausum se *venari:* quo vocabulo pari elegantia usus est Epist. I. 1. 78. de improbo heredipetarum studio eorumque viduarum senumque, quos in vivaria mittant, aucupio: vid. d. h. v. et v. gr. θηρᾶν, θηρεύειν *Dorville* ad *Charit.* p. 555. *Burmann.* ad *Phaedr.* IV. 4. v. 4. et *Burmann Sec.* ad *Anthol. Lat.* T. I. p. 390. Inde sui suorumque poematum apud alios contemptum et obtrectationem repetit et v. 59. ad

aliam malignitatis istius causam progressus itidem verba mutuatur e comitiis. Nam sicut aequalium poetarum vanitatem salse notaverat eosque veluti ambitus cujusdam reos fecerat, utqui non magis poeticam laudem sine muneribus sperare possent, quam Candidati magistratus, ita non minori acumine commotus est *tribus Grammaticorum:* quae verba inscite Porphyrion Schol. de *ipsa discipulorum multitudine* interpretatur. Neque magis accommodate Gesnerus huc vocat Epist. I. 20. v. 17. *Hoc quoque te manet, ut pueros elementa docentem Occupet extremis in vicis balba senectus;* ubi Libro suo inter alia etiam hoc eventurum dicit, ut, ubi, amissa novitatis gratia, contrectatus vulgi manibus coeperit sordescere, aliisque subierit indignitates tandem in scholis a ludimagistris alphabetariis explicetur pueris, eorumque manibus conteratur. Qui cum Scholiaste Cr. vv. *balba senectus* ad ipsum referunt Librum, quasi ei futurum sit, ut balbutientium puerorum meditatione consenescat, ii dubito an omnem hujus loci virtutem et acumen perspexerint. Nam etsi Horatius per elegantem *προσωποποιίας* Libro suo dicere poterat: *te — pueros elementa docentem balba senectus occupat;* tamen non dubito, quin haec διλόγως sint sumenda et scribenti Horatio obversatus sit suus magister, Orbilius ille plagosus, qui, ut ipse, teste Suetonio d. Illustr. Grammat. c. 9. T. III. p. 15. Wf., scripto quodam perseneх fassus erat, pauper vixerat et habitaverat sub tegulis h. e. in summa aedium parte, ubi pauperes habitare solebant. Paupertatis enim denotationem continent v. *extremi vici*, qui h. l. opponuntur *Vertumno* et *Jano*, celebrioribus Urbis locis, quae spectare fingitur *Liber* v. 1., ut prostet Sosiorum pumice mundus. Quare malim referri v. *balba senectus* ad vetulos ludimagistros, qui *occupare* dicuntur librum h. e. in usum suum ante convertere, quam opistographis seu mercium involucris adhibeatur cf. v. 13. Ex his vero, quae diximus, patet, hic non cogitari posse de illis Grammaticis, quorum *tribus* et *pulpita* commemoret Horatins. Nam, nisi me omnia fallunt, *Grammatici* h. l. iidem sunt, qui Epist. II. 1. v. 51. *Critici* u. *Kunstrichter*, *Aesthetiker* dicunntur: ad q. l. copiosius de iis exponam. Hanc interpretationem etiam voc. *pulpita* commendat. *Pulpitum* enim theatri, ut jam *Stieglitz* in *Archaeol. d. Baukunst d. Gr. u. Roem.* Vol. VI. P. I. p. 174. docuit, translate de omnis generis suggestu a scriptoribus usurpatur, ita ut h. l. de loco edito possit cogitari, de quo quis verba ad alios facit vel orando vel recitando scripta. Porphyrion h. l. *pulpita* ad magistros refert, qui in sublimi sella praesidens discipulis eosque docent: quas quidam magistrorum sellas serior demum usus coepit dicere *cathedras*, ut ap. Juvenal. VII. 203. *Poenituit multos vanae sterilisque cathedrae*, cum, quod sciam, apud aureae aetatis scriptores, ut ap. Horat. Sat. I. 10. 91., non nisi de mollioribus mulierum hominumque effeminatorum sellis usurpetur, ut Plinius Ep. Lib. VIII. 21. §. 2. recitans in triclinio, amicos positis ante lectos triclinares *cathedris* h. e. sellis collocavit, ubi Gesnerum de pulpitis cogitantem bene refutarunt *Schaeferus* et *Gierigius* ad Epist. II. 17. §. 20. In ejusmodi cathedris, ut viri in lecto, mulieres etiam scribebant, id quod docet Propert. Lib. IV. 5. 37. *Posita tu scribe cathedra Quidlibet:* cf. *Boettiger* in *Sabina* etc. p. 29. 30. et *Schwabe* ad *Phaedri Fab.* III. 8. v. 4. T. II. p. 64. Igitur hoc Horatii loco *pulpita* utique de magistrorum cathedris explicanda censeo. Facit huc locus Martialis Lib. I. ep. 77. v. 13. *Illic* (h. e. in foro) *aera sonant: at circum pulpita nostra Et steriles cathedras, basia sola crepant*

i. e. laudes et applausus audientium; quo in loco manifestum est *pulpita* et *cathedras* a Martiale *συνωνύμως* dici. Sicut voc. *pulpitum*, ita etiam alia vocabula, ut *scena* a theatro ad oratorum et rhetorum palaestram sunt translata: frequentant hunc metaphoricum dicendi usum seriores, ut Plin. Lib. VII. ep. 17. §. 9. de oratore: *Utique si latior scena et corona diffusior:* qua metaphora moderatius usus Cicero d. Orat. II. c. 83. *Fit autem, ut, quia maxima quasi oratori scena videatur concio, concionis natura ipsa ad ornatius dicendi genus excitetur:* uti edidit Schützius in Cicer. Opp. Rhet. Vol. II. P. I. p. 267. Auct. Dial. de causs. corr. eloq. c. 35. *At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenas scholasticorum, qui rhetores vocantur.* Jam Horatius, ad eum ut revertamur, *non dignor*, inquit, *ambire Grammaticas tribus et pulpita* h. e. infra meam dignitatem esse puto, more Candidatorum, qui obvium quemque prensant, ambire collegia Criticorum eorumque petere suffragia atque applausum. Vers. 39. et distinxerunt diverso modo et explicaverunt Editores, adeoque ii, qui meliorem secuti fuerant interductum, quem, quod sciam, primus dedit *Schaeferus*, Vir acutissimus, in *Edit. Lips. ap. Weigel.* 1803., tamen in constituendo hujus versus sensu ac nexu permirum, quantopere fluctuarint. Ita, qui verba: *nobilium scriptorum auditor* et *ultor* recte, tanquam appositionem pron. *ego*, a reliquis distinctione sejungit Doeringius V. Cl., quum voc. *nobilium* ironice accipit et toti loco h. sententiam subjicit, ac si Horatius noluerit se immiscere Grammaticis et, quae apud eos a nobilibus scriptoribus e pulpitis recitarentur, audire, factamque scriptoribus injuriam ulcisci, admodum metuo, ne hac ratione subvertat omnem loci vim et acumen. Carol. Fea in haud paucis Codd. Mss. invenit *adjutor* et *ultor;* Lambin. in Ms. 1. *et actor.* Plurimum difficultatis habet voc. *ultor*, quod Lamb., Torrent., Bentlej., Wetzel. aliique ironice sumunt pro eo, qui, auditis aliorum carminibus, sua vicissim recitat eorumque recitatione alios quodammodo enecat atque ita ulciscitur; ut Juvenalis Sat. I. 1. *Semper ego auditor tantum, nunquamne reponam?* Sed de suorum recitatione carminum agit v. 41 sqq. et quum, ut ex Sat. I. 4. 72. discimus, nemini recitaret, nisi amicis idque coactus, in promptu est videre, ista interpretatio quam vana sit et ab hoc loco aliena. *Godofr. Faehsio in Sylloge Lect. Graec.* (Lips. 1813.) p. 456. in mentem venit legere *altor* pro *ultor* ob anteced. v. *Impensis coenarum*, quae conjectura, ut lenissime dicam, magnopere mihi displicet. Ipse vero Faehsius voc. *ultor* notione *patroni*, *defensoris* sumpsit cum Wielando et Habsfeldto. Nempe prava h. versus distinctio in fraudem eos induxit effecitque, ut negationem falso copularent cum vv. *auditor* et *ultor* eaque verba ita acciperent, quasi dixerit Horatius, se aliorum recitationibus neque auditorem interesse neque plausorem. Huic interpretationi patrocinatur mult. Codd. Mss. lectio *adjutor* pro *auditor:* quae vox *adjutor* proprie de magistratibus usurpata, translate etiam dicitur, ut ap. Cicer. d. Offic. III. 33. *Epicurus ejusdem adjutor auctorque sententiae.* Phaedrus Lib. V. Fab. 5. v. 13. *In scena vero postquam solus constitit, sine apparatu, nullis adjutoribus, silentium ipsa fecit exspectatio:* ibiq. Burmann. et Schwabe T. II. p. 360. Qua lectione recepta hic loci sensus exsecitur: non ego aliorum in Grammaticorum collegiis scripta recitantium sum adjutor neque patronus s. defensor, si quis eos reprehenderit: nam copula *et* ante *ultor* ob praeced. *non* negandi vim assumit: vid. in re nota Ruhnkenius ad Vellej. II. c. 45.

Atque voc. *adjutor* vis in recitationibus ad applausum erit referenda, quandoquidem, ut Ovidius simili in re IV. ex Ponto 2. v. 35 ait, *Excitat auditor studium, laudataque virtus Crescit, et immensum gloria calcar habet.* Sed utramvis sequaris lectionem, *auditor* s. *adjutor* ante omnia idoneo alius scriptoris exemplo probanda erat significatio, quam VV. DD. voc. *ultor* subjectam hic esse voluerunt. Quare iidem Viri Docti aliam potuissent inire viam, qua, acquiescentes in vulgari voc. *ultor* notione, copulae *et* disjunctivam tribuerent vim, ut idem sit, quod *at, sed:* qua potestate *atque* passim dicitur Ciceroni, vid. A. Matthiae ad Orat. pr. Murena c. 33. §. 71. p. 219. itemque *et* vid. Gernhard. ad Laelium c. 8. §. 26. p. 66. adde Heindorf. ad Horat. Sat. I. 3. v. 20. p. 63. et quae congessit Tzschuckius ad Pomp. Mel. Lib. I. c. 9. §. 6. Vol. II. P. I. p. 346 et in Ind. s. v. *et:* unde librariorum subinde ortae sunt correctiones: vid. Heusinger ad Cicer. d. Offic. Lib. III. c. 6. §. 16. ibiq. Beier. T. II. p. 233. sqq. Quo facto sensus esset: Non ego nobilium scriptorum sum auditor, sed ultor. Verum utraque et lectio et interpretandi ratio utcunque se primo obtutu commendat, duritiem tamen quandam infert toti loco ejusque, si quid judico, veram sententiam destruit. Horatius enim istum applausus ambitum sua indignum persona existimavit, quia ipse erat nobilium scriptorum *auditor* et *ultor* i. e. eorum recitationibus et auditor intererat et judex assidebat. Recte enim Schol. vett. voc. *ultor* explicant *judex* i. e. Criticus doctus et severus carminum aestimator, qualis fuit *Sp. Maecius Tarpa*, cui sa ipse saveritate et veritatis amore aequiparat, quum Pisoni juveni Epist. II. 3. v. 385. scribit: *Tu nihil invita dices faciesque Minerva; — si quid tamen olim Scripseris, in Maeci descendat judicis aures Et patris et nostras* etc. ut. h. l. scribendum monui in Comment. d. *Turgido Alpino* p. 5., vel qualis fuit *Quintilius* ille, cujus judicium severum et candidum ipse expertus laudat ejusque paene morosae severitatis exemplum perniciosae scriptoribus aliorum assentationi opponit v. 436: *Si carmina condes, Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes. Quinctilio si quid recitares, „Corrige sodes Hoc", aiebat, „et hoc:" melius te posse negares, Bis terque expertum frustra; delere jubebat Et male tornatos incudi reddere versus:* vel denique qualis fuit *Plotius Tucca*, cujus peramanter et honorifice meminit Sat. I. 5. 40. et 10. 81. ibique Heindorf. p. 119. et Heynius ad Donat. Vit. Virgil. Sect. XIV. §. 53. Horum igitur ac similium virorum in audiendis atque aestimandis poetarum carminibus exemplum secutus erat ipse Horatius auditor, et severus censor scriptorum *nobilium*, qui sine dubio nulli alii sunt, quam egregii illi viri, quorum amicitia et gratia jam Sat. I. 10. 81 sq. erat gloriatus ac quorum assensum in imitandis Graecorum poetis sectari se et in quorum judicio et applausu, contemptis aliorum judiciis et suorum studiorum obtrectationibus, cum voluptate se acquiescere hac ipsa Epist. v. 34. confitetur. Jam sicut illis viris animi ingeniique praestantia excellentibus et amicitia ac familiaritate sibi junctis sua praelegit carmina (vid. Sat. I. 4. 72.) vel ea amicorum judicio subjecit, quo nomine Tibullum candidum sermonum suorum judicem appellat Ep. I. 4. 1.; ita, nemini, opinor, dubium erit, quin vicissim Horatius amicis scripta recitantibus, id quod ab Asinio Pollione factum prae ceteris certo constat, adfuerit et auditor et judex. Atque si cui displiceat judicis notio voci *ultor* a me cum Scholiastis subjecta, cui ipse nequen ullius scriptoris testimonio conciliare auctoritatem, aliam promptam habeo interpretandi rationem, fortasse

rectiorem, quo vocabulum *ultor* proprie sumptum ad obtrectationes refero, quas cum aliorum Poetae nostri familiarium, tum maxime Virgilii carmina subiisse, docui in Comment. *d. Horatii Obtrectatoribus* p. 4. Si quo igitur his, quorum carmina audiverat, amicis facta erat injuria a Maeviis, Baviis aliisque hujus farinae poetis, eam ulcisci se significat. Quae cum ita sint, tantum abest, ut cum plerisque idque doctissimis Horatii Editoribus verba *nobilium — ultor* ironice accipiam, ut, quum illis, praeeunte erudito Scholiasta Cruq., qui ad v. *nobilium scriptorum* adnotavit: *meorum Romanorum, Pollionis, Virgilii, Varii* etc., vulgarem attribuerim sensum, toti loco factam arbitrer insignem et virtutis et acuminis accessionem. Quid quaeris? Horatius, dum se praestantissimorum dicit scriptorum auditorem eorumque ab iniquis obtrectatorum judiciis vindicem, tacite se commendat familiaribus suis et inprimis, cui hoc poema inscripsit, Maecenati, cujus celeministrata scripta non tam obtrectationibus aequalium, quam irrisionibus vel maxime obnoxia fuisse constat, et vero etiam perurbano contemptu Grammaticorum, qui sibi, ut ex Epist. II. 1. v. 51. patet, de poetis judicandi et jus arrogaverant et potestatem, severitatis et dictorum Satirae neque Epistolae convenientium aculeos emittit partim in istos ex aequalibus poetas, qui, laudis poeticae cupidi, aut applausores sibi de litteratae plebis faece coenis muneribusque coemerent, aut in Grammaticorum collegiis sua recitarent scripta eorumque laudem et suffragia expeterent, partim in hos ipsos Grammaticos, judices superciliosos, quorum suffragia ambire sua persona, quia ipse nullius nisi nobilium scriptorum sit auditor et censor, indignum dicit Poeta: hinc ista judicandi malignitas et carminum obtrectatio, quam significat Terentii verbis ex Andria I. 1. 99. quibus item usus est Cicero pro Coelio c. 25. His in verbis quanta insit acerbitas, a nativa Epistolae, praesertim ad Patronum aestimatissimum scriptae, indole prorsus aliena, nemo non sentiet. Hoc vero, ut supra dixi, poema ab Horatio per otium chartis mandatum est, ut in lucem aliquando ederetur et legeretur ab obtrectatoribus, quos inter verisimillimum est Grammaticos quoque, quos hic carpit, fuisse. Nam hi, quae fuit eorum arrogantia, haud dubie Horatio, publicam suorum carminum recitationem perneganti, institerant et, repudiatis precibus exasperati, eum maligne insectati fuerant. Hanc conjecturam meam omni eximunt dubitatione ea, quae sequuntur, in quibus Poeta admirabili lepore narrat, qua arte et quam callida tergiversatione hujuscemodi invitationem a se aliquando declinaverit. Ceterum vix opus est monere, ut hic quoque advertatur ille Horatii mos, quo ad Socraticorum Philosophorum exemplum et artem, in Sermonibus, h. e. Satiris et Epistolis, Dialogorum formam effinxit; sed illud inprimis velim attendatur, Poetam in summa, quam hic prae se fert, modestia, tecte tamen uberrimam sibi tribuere poetici ingenii laudem et invidiosam illam cum Augusto necessitudinem ita tangere, ut mentionem ejus non a se, sed ab isto, quocum se sermocinantem inducit, factam festive comminiscatur. Horatius igitur v. 41. fingit, se a quopiam illorum Grammaticorum rogatum noluisse sua recitare carmina, indigna quippe *theatris spissis:* quae verba equidem neque confero cum Epist. II. 1. 60. et A. P. v. 205. neque de more recitandorum in scena carminum Romae consueto intelligo, cujus meminit Donatus in Vit. Virgil. Sect. XI. §. 41. et 44. ibique *Heynius* cl. *Langii Vindiciae Trag.*

Grammaticorum ista pulpita seu scenam referenda puto, quo

Poeta quasi refertam auditorum frequentia theatris spissis festiva ironia assimilat. Horatius, simulata tantum modestia, appellat sua carmina *nugas*, quas tamen aliquid esse (vid Catulli Carm. I. 4.) dixerunt Augustus, Maecenas, alii. Illud *ait* itemque *inquit* absolute sic poni, ubi incertus quidam loquens vel respondens inducatur, docuit, post Bentlejum, *Heindorfius* ad Sat. I. 4. 79. p. 191. his adde, quos *Ruhkopf* ad Senec. d. Benef. Lib. II. c. 11. §. 3. T. IV. p. 53. *Moser* ad Cicer. d. Legg. Lib. II. c. 23. §. 59. p. 342. allegarunt et quae inprimis *Passovius* ad Persii Sat. I. v. 40. p. 273. sqq. disputavit. Igitur *rides*, ait, (n. iste ex Grammaticorum grege) h. e. ludificaris me, ut similiter Persius l. c. *Rides, ait, et nimis uncis Naribus indulges*, ubi Casaubonum, in imitatrice Persii opera investiganda nimis emunctae naris indagatorem, bene refutavit *Passovius* p. 113. — Verba *Jovis auribus servare* habent vim proverbii de iis, qui res suas celant iisque nimium pondus addunt. Ceterum recte observarunt Intpp. argutam in his Dilugism, qua *Jovis* numine Augustus poterat intelligi, siquidem Caesares suos Romani adulantes solebant appellare Joves, ut, hoc loco non omissu, pluribus docuit *Jacobs* in Observatt. ad Anth. Gr. Vol. II. P. 2. p. 191. idemque Vir Eximius in Not. Crit. ad Anthol. Palat. T. III. p. 320 similam Dilogiam agnovit in Theocrit. Idyll. VII. v. 93 *Ἔσθλα, τά που καὶ Ζανος ἐπὶ θρόνον ἄγαγε φάμα:* ubi *Ζανὸς* i. e. Ptolemaei Philadelphi. Neque tamen haec cum Interpretibus ad Augusti ἀποθέωσιν retulerim. Id vero est, quod admiremur et dilaudemus in Horatio, ut qui ad ejusmodi adulationem Augusti hic non se ipse abjecerit, sed attribuerit alii pariter ac Sat. II. 6. 57. ubi, eadem usus calliditate et arte, alium induxerit sibi dicentem: *O bone, nam te Scire, Deos quoniam propius contingis, oportet. Num quid* etc. ubi Schol. Cruq. ad. voc. *Deos* adnotavit: *Augustum, Maecenatem* etc. Ut vero Horatius, quo acerbius suos pungeret obtrectatores, scite commentus est Grammaticum istum vel invito animo confiteri, quanta apud Augustum floreret gratia et quanti ille Princeps faceret ipsius carmina, sic in seqq. v. 44. eundem induxit effuse laudantem ipsius ingenium poeticum. His omnibus quum induerit Horatius speciem blanditiae, a precantibus non alienae, hoc magis ab obtrectatoribus lecta non poterant non vulnerare. De dictione *manare aliquid* apte laudarunt Interpp. Ovid. Met. VI. v. 312. *ubi* (Niobe) *fixa cacumine montis Liquitur*, et *lacrimas etiamnum marmora manant*, ut h. l. pro vulg. *lacrymis* restituit N. Heinsius et perducte illustravit *Jahnius* meus. Similiter Christodorus in Ecphrasi v. 110 in Br. Anal. p. 460. T. II., a quo dicitur Erinna *Πιερικῆς ῥαθαμιγγας ἀποσταλάζουσα μελίσσης*. Frequens enim est carminum cum melle comparatio, de qua affatim exposuere *Mitscherlich* ad Horat. IV. od. 2. v. 29. *Jacobs* ad Meleagri I. v. 10. in Animadvers. ad Anthol. Gr. Vol. I. P. I. p. 5. — v. 45. Locutionem *naribus uti* non retulerim ad irrisionem, quam Graeci exprimunt v. μυκτηρίζειν, διασύρειν, σιλλαίνειν, i. e. *uncis naribus indulgere, vel naso adunco suspendere* ap. Horat. I. 65. ubi vid. *Heindorf.* p. 137.; sed ad iram et indignationem, qua commotum se fuisse fingit istorum dictis et quam expromere verebatur. In naribus irae sedes esse putabatur ab antiquis: vid. *Passow.* ad Pers. I. 40. p. 273. Horatius igitur, cui ut utar verbis Theocriti Id. I. 18. δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται, formidat naribus uti, h. e. irae temperat suae, extimescens quippe istorum Grammaticorum ungues et furorem, a veteribus celebratum, ob quem Grammatici

Καλλιμάχου πρόκυψις s. *Ζηνοδότου ἐπίλεκτος* audiebant: vid *Jacobs* Animadv. ad Anth. Gr. Vol. II. P. 2. p. 123. — v. 47. Inepte Intpp. quidam v. *locus*, quem Horatius vaferrima dissimulatione sibi displicere ait, quo elabatur de istorum manibus, interpretantur de re, qua de litigatur; rectius Torrentius locum intellectum vult, quo recitaturi convenirent; ita etiam Acron: *locus, quo recitem:* cf. Sat. I. 4. v. 76. Vocem *diludia* a re gladiatoria mutuatus est, ut saepe v. c. Ep. I. 1. v. 2, et inprimis huc facit Ep. II. 2. v. 97., ubi insanum aequalium poetarum certamen, quo alter alterius ingenium et carmina laudibus extollit, simili usus imagine describens ait: *Caedimur et totidem plagis consumimus hostem Lento Samnites ad lumina prima duello.*

§. 6.

Quemadmodum vero Horatius illam ad Maecenatem epistolam XIX. Lib. I. obtrectatorum causa, quorum stultitia et malignitas stomachum ipsi fecisset, si non scripsisse, certe in lucem edidisse mihi videtur; ita in aliis etiam et scribendis et edendis, id, nisi egregie fallor, spectavit, ut, quae cum Augusto et Maecenate ipsi intercederet necessitudo, planum faceret ac de speciosa istius vitae ac necessitudinis felicitate quid ipse sentiret, simpliciter doceret. Huc refero Epistolas, quas se fingit scripsisse ad Iuvenes, quos, ut Scaevam, (Epist. XVII.) et Lollium (Epist. XVIII.), circa principum virorum favorem videbat trepidantes, quosque monebat, quomodo lubricum istud, tortuosum ac praeceps vitae aulicae iter et prudenter esset ingrediendum et feliciter decurrendum, ne quis multiplicibus constrictus laqueis nodisque libertate careat potiore metallis, eaque perdita dominum vehat et serviat aeternum, quia parvo nesciat uti, ut ipse scribit Aristio Fusco Epist. X. v. 39 sqq. 9)

Hujuscemodi argumenti Epistolas quis dubitet exaratas esse non tam eorum, quorum nomina in fronte gerunt, quam aequalium gratia; quibus sua animi sensa ac cogitata aperiret vivendique rationem explicaret? Hi vero quo minus addubitarent, Horatium sui esse juris et arbitrii hominem neque regiae ac parasiticae mensae vivere emancipatum, sed ab humili alienum assentatione, scire, ad Aristippi exemplum, regibus uti, (v. Epist. XVII. v. 14), nihil cunctatus est ac veritus publici juris facere Epistolam VII. Lib. I., in qua Maecenati, a commeatu ipsum revocanti Romam, ingenua cum libertate et nativa quadam simplicitate scripserat v. 39.

Inspice, si possim donata reponere laetus. —

Jam hanc Epistolam ut concedamus ad Maecenatem vere esse missam, ut Patrono invitanti responderet, tamen nulla alia de causa editam ab Horatio judico, quam ut, sua cum Maecenate quae et qualis esset familiaritas, inde discerent aequales, alioquin inurbanum, si quid sentio, et inhumanum fuisset publicare carmen, in quo Patrono, quamvis tot et tanta ei deberet beneficia ac vitae commoda, justum tamen cum quadam animi contumacia detrectaverat obsequium. Enim vero multa sunt, quae me inducant, ut hanc quoque Epistolam a Poeta fictam arbitrer et, priusquam

Liber Epistol. Primus esset editus, aeque minus a Maecenate lectam, ac primum Libri I. carmen, quod eidem Patrono hanc poematum Syllogen dedicaturus inscripsit. Namque in hoc quoque epistolari poëmate quum Horatius de suismet rebus potissimum agat, Maecenati notissimis, et quum suae vitae studiorumque normam non sine urbana aliorum vellicatione et irrisione exponat, manifestum est, eum in scribendo per otium hoc carmine idem ob oculos habuisse consilium, quo perfacetum illud Epistolium ad *Librum* lusit ac composuit. Hoc enim, veluti Epilogo, Librum Epistol. Primum in vulgus emisit, et, quam varia et iniqua subiturus esset diversorum lectorum judicia, certo auguratus ei, tanquam puellae, quae gestiat prostitui, prudentis patris instar, dixit:

Odisti claves et grata sigilla pudico;
Paucis ostendi gemis, et communia laudas,
Non ita nutritus. Fuge, quo descendere gestis;
Non erit emisso reditus tibi. 19),

vel, ut Martialis, hanc Venusini Poetae allegoriam aemulatus, Lib. I ep. 4. v. 12. dixit:

Aetherias, Lascive, cupis volitare per auras;
I, fuge; sed poteras tutior esse domi.

Hoc poematium nemo, opinor, erit, quin a Poeta obtrectatorum suorum causa exaratum editumque fateatur, atque veri nominis epistolam minime dici posse concedat.

9) Codd. Mss. h. l. admodum variant: *vehit* s. *vehet;* itemque alii *qui parvo* pr. *quia;* al. *nesciat*, *nesciet*, *nescit:* quod postremum, ortum procul dubio ex *nesciit*, favet conjecturae Lambini, quocum Gesnerus et Bothius in Annot. ad Horat. ed. Feae p. 174. legi maluerunt: *quia parvo nesciit uti.* Hos probe refutavit amicus praestantissimus et nuper collega, *Jahnius* ad h. l. p. 261., quem etiam meam in interpretando h. Hor. loco discessionem aequo laturum esse animo, certissime scio. Mihi enim Horatius h. in poemate non in universum de divitiarum parandarum cupiditate loqui videtur, sed idem ei et scribendae et edendae hujus Epistolae consilium fuisse auspicor, quod supra de aliis ejusdem fere argumenti epistolis significavi. Aristius Fuscus enim, unus ex intimis Poetae nostri amicis, quum ipsum in Sabino degentem sive per litteras sive, quod magis placet, coram rogasset, ut, quo securius jucundiusque una possent vivere, Sabinum cum Roma et vitam rusticam cum urbana commutaret, quoniam haec sola et jucundae vitae fecunda veluti sit genitrix, et aditum ad honores ac divitias patefaciat; Horatius in villa sua hanc Epistolam s. poema composuit, in quo suae vitae in Sabino simplicitatem ac felicitatem animumque paucis contentum ita describit ac declarat, ut urbanam vitam et Principum favorem venusta quadam urbanitate deprimat. Quare, commendato illo, quo vera vitae innititur beatitas, Philosophorum praecepto: *Nil admirari* (v. 51. cl. Epist. VI. 1.) amico suadet v. 32. *Fuge magna, licet sub paupere tecto Reges et regum vita praecurrere amicos.* Inter alia autem, quae ex Principum assectatione redundent,

damna ponit libertatis jacturam, quam Socratis more (vid. *Fr. Ast de Platonis Phaedr.* p. 29) fabula proponit illa, quam Stesichorus Himerensibus olim narrasse traditur ab Aristotele: vid. Excurs. *Schwabii* ad Phaedri Fab. IV. 4. p. 190. T. II. Haec nisi ab Horatio scripta et eo consilio publicata statuimus, ut, quae ipse sentiret de invidiosa aulicae vitae felicitate, aequales doceret, metuo, ne subinsulsa existat bujus loci sententia. Illius vero fabulae vim at veritatem ad se et amicum tecte traosfert generali complexam senteotia v. 39. *qui*, ioquit, *pauperiem veritus* potentiorum gratiam ac patrocinium ambit et, ut opibus ditetur, eorum se studiis et arbitrio emaocipat totum, suam disperdit libertatem. Eam Poeta h. l. *potiorem metallis* dicit ex sui animi sensu ac judicio et cum tacita reprehensione nescio dicam an admonitione eorum, qui Romae, ut praeclare docuit *Wielandus* in Arg. Epist. IV. Libr. I. p. 115., ad humillimum abject servitium civitatis Principes assectabantur, quo citius ac facilius locupletarentur. Id qui facit, is, inquit, *dominum vehit sic*, ut equus ille in Stesichori fabula, atque, quod inde consequens est, in perpetuum serviet, quia nesciat uti parvo h. e. quia nuoquam discet paucis esse contentum. Haec, quae disseruimus, si vera sunt, certum etiam est, unice veram esse Codd. Mss. lectionem *vehit*, quam adoptavit divinus ille vir, Bentlejus, quo praeeunte h. locum et scribendum et distinguendum censeo:

Sic, qui pauperiem veritus potiore metallis
Libertate caret, dominum vehit improbus; atque
Serviet aeternum, quia parvo nesciet uti.

Quo in loco primum advertenda est vis particulae *sic*, quam in exempli applicatione poni solere docuit *Goerenz* ad Cicer. d. Fin. V. 24. §. 40. p. 582. et copulae *atque*, quae in orationis et argumentorum consecutione et explicatione passim sensu praegnanti ponitur, ut sit *atque ita*, *atque adeo*, ut gr. *καὶ* pro *καὶ οὕτω*: vide *Goerenz.* ad Cicer. de Fin. I. 18. §. 58. p. 85. II. 10. §. 30. p. 166. Academ. II. 11. §. 36. p. 71. cl. *Gernhard* ad Cicer. Laelium c. 14. §. 50. p. 109 et inprimis *Hand.* ad Stat. Sylv. I. 1. v. 55. p. 104. ubi de Domitiani equo Statius. *Hic domini nunquam mutavit habenas Perpetuus frenis; atque uni serviet astro:* ubi si mecum *mutavit* ἀορίστως sumpseris pro *mutare solet;* eundem hic, qui in loco Horat. est, agnosces orationis colorem et argumentationis rationem. Deinde utramvis sequaris Codd. Mss. lectionem, sive *quia* seu *qui parvo*, id patet, neutram esse spernendam; posteriorem vero conjungendam cum v. *serviet* h. *is, qui — nesciet;* et priorem, a me praelatam, cohaerere cum v. *aeternum* h. sensu: qui paupertatis fuga Potentes sectatur cum libertatis siniqua juris dispendio, vehit dominum, atque ita serviet aeternum h. e. eorum mancipium ac veluti jumentum perpetuum erit hanc ob causam, quia nesciet parvo uti. *Doeringius*, de Poetae Venusini carminibus cetera egregie meritus, qui lectionem *vehet* firmari ait v. *nesciet*, non magis persuadet, quam quum, Schol. Cruq. secutus, v. *improbus* explicat *avarus*, qui malo et improbo studio divitias coegerat; unde Od. III. 24. 62. ipsae *divitiae* dicantur *improbae*. Verum sicut *divitiae improbae* mihi sunt permagnae, immensae, modum excedentes, ut *improbus mons* ap. Virgil. Aen. XII. 6. 87. *improba arva* ap. Valer. Flacc. I. 510. II. 632. ibiq. *Burmann* cl. *Salmasius* ad Tertullian. d. Pallio p. 184. et *Gronovius* in Diatr. Stat.

Lib. III. c. 29. p. 307. ad Hand; ita Potentiorum assectator dominum vehit *improbus* h. e. impiger, assiduus, ut jam Lambinus recte accepit, citato Virgil. G. I. 145., et I. H. Vossius optime convertit: *Der träget den Herrn unverrükt fort.* Aeque minus assentiri possum Doeringio interpretanti v. *dominum* de pecunia, a qua quis sibi imperari patiatur: cujus interpretationis adjumentum equidem neque in hujus Epistolae scribendae consilio, neque in Stesichori fabula deprehendo, nedum v. 47.

Imperat aut servit collecta pecunia cuique;

ubi idem V. D. mihi videtur suum praecipitasse judicium, recepta conjectura *haud servit*, in quam jam ante eum inciderat *Waddelius* in Animadv. Crit. p. 73. Edinburg. 1734.

20) Quae v. 2. in v. *prostare* inest elegans dilogia, eam, praeeunte Lambino, acute observavit *Buttmannus* in Comm. l. p. 23., qua simul festive vellicantur Sosii, qui libros venales, ut lenones puellas meritorias, ornant et mundos esse curant. Horatius vero se assimilat patri, qui de filiae pudicitia sollicitus eam clausam in thalamo atque obsignatam teneat. Veteres enim ante serarum usum in claudendis foribus usos esse sigillis, docet *Kirchmann.* d. Annulis. X. p. 84.; inprimis virgines, quarum pudicitiae timebatur, obsignatis foribus clausae tenebantur: quem veterum morem docte, ut solet, exposuit *Boettiger* in libr. *Aldobrand. Hochzeit* p. 130 sqq. Haec sigilla dum Horatius *grata pudico* dicit, lepida usus προσωποποιΐᾳ Libro suo, qui communia laudat et paucis ostendi gemit, impudicitiam quandam exprobrat ac libidinem. — V. 5. Pro *descendere* multi Codd. Mss. sollemni errore *discedere*, quod, in pluribus editt. propagatum, merito in perpetuum textu exsulare jussit Bentlejus et lect. *descendere* erudite adstruxit. Nam Romani, in collibus maxime habitantes, dicebantur *descendere* ad Forum, in loco pleno atque humili situm: videsis etiam *Garatonium* ad Cicer. Or. pr. Planc. c. 14. p. 85. ed. Orelli. Horatius vero in Esquiliis habitabat: ergo Libro, qui vers. 1. Vertumnum et Ianum spectare dicitur, descendendum erat ad Forum, ubi erant *Janus* s. *Jani* h. e. perviae illae porticus, de quibus vid. N. 8., et ubi *Vertumnus*, iste invertendarum rerum i. e. mercaturae deus, teste Asconio ad Cicer. Verr. Act. II. Lib. I. c. 59. T. I. p. 261. Harl., habebat signum in vico Turario s. Tusco, de q. vid *Heindorf.* ad Sat. II. 3. v. 228. p. 318. In eodem autem vico, praeter mercatores, erant etiam lenones et meretrices: Plautus in Curcul. IV. 1. 21. *In Tusco vico, ibi sunt homines, qui ipsi sese venditant.* Hinc inducor, ut in v. *descendere* h. l. dilogiam inesse arbitrer, a nullo dum observatam Interprete, allegoriae autem, qua hic utitur Horatius, apprime consentaneam, quandoquidem ad lupanaria s. fornices i. e. cameratas subter terra cellas descendendum erat: id quod egregie confirmat ipse Horatius Sat. I. 2. v. 34. ibique *Heindorf.* p. 36 sq. cf. infr. N. 13.

§. 6.

Sunt vero in hac epistolarum vulgo dictarum Sylloge etiam alia poemata, quae licet personae cujusdam nomen habeant praefixum, tamen mihi videntur meris ingenii lusibus atque nugis adnumeranda esse, quas ingeniosissimus Poeta in chartas

per otium conjecerit, non tam, ut de more aliorum poetarum, quantulascunque occupationes suas ac curas distingueret iisve recitandis amicorum sessiones et conventicula exhilararet, quam ut eaedem aliquando cum ceteris editae et ab aequalibus lectae publicam quandam redderent rationem vitae ac studiorum, quae sequi consueverat. Hujusce generis suspicor esse Epistolam 14. Libri I. quam Horatius ad *Villicum suum* putatur dedisse. Etenim nemo unquam mihi persuadebit, Horatium, lepidissimum quidem homuncionem, tanta cum humanitate, facilitate et urbanitate scripsisse ad Villicum, negligentem praesertim rerum villaticarum procuratorem, eumque, etsi Villicos e libertis fuisse mihi constet, habuisse dignum, cui suas agendi vivendique rationes tam accurate, tamque candide exponeret, et vero etiam juventutis suae dedecora in memoriam ei revocaret, licet haud nesciam, servos fuisse nequitiae ac lasciviae dominorum ministros. [11]) Atque si qui forte sunt, qui, ne quid mihi resideat scrupuli, opponant Davum servum, quem Horatius Lib. II. Sat. 7. induxit Saturnalicia libertate exprobrantem ipsi hero animi levitatem et inconstantiam: nae eos confidenter dico parum habere perspectam Flacci petulantem vafritiem, qua, quo tutius posset alios excusso naso suspendere et verborum aculeis configere, ne sibi quidem ipse parcere consueverit, neque eos puto commeminisse, festivum illud cum Davo jurgium esse confictum et eodem scriptum publicatumque consilio, quo lepidam cum Damasippo disceptationem Sat. 3. Libr. II. commentus edidit. Idcirco hanc ad Villicum Epistolam ab Horatio, Romae cum esset, animi caussa scriptam arbitror propter eos amicos, qui, quo diutius jucunda ejus fruerentur societate ac convictu, id quovis modo studebant, eum ut in urbe detinerent eumque a ruris amore, quem procul dubio saepe multumque craparet, avocarent. Quos ut urbane refelleret politissimus Poeta, hanc finxit ad Villicum suum, stultum ruris amatorem, scripsisse Epistolam, eamque sine dubio dedit amicis legendam. Atqui hoc quum statuimus, quam plana omnia hac in Epistola fiant ac perspicua, unus quisque, qui nihil praejudicati huc attulerit, intelliget. Horatius enim primum suam villam non adeo vilem esse dicit, quae spernatur: id quod haud dubie ejus amici dictitaverant, regiam in coelum ferentes Romam, quam fecundam vitiorum illecebris et virtuti perniciosam esse significat, ideoque ruri postponit; deinde ne videatur parvi facere amicos, Lamiae moerentis causa se ait diutius jam Romae esse moratum, quam velit cupiatque, his usus verbis v. 6.

Me quamvis Lamiae pietas et cura moratur;
Fratrem moerentis, rapto de fratre dolentis
Insolabiliter: tamen istuc mens animusque
Fert et amat spatiis obstantia rumpere claustra; [12])

tum amicos, urbis laudatores, tecte monet, ne vitae felicitatem ex loco, quo quis versetur, repetendam autument: quod quidem monitum, ne forte amicis asperius accidat, suo de more ita temperat, illud ut ad se potius suumque ruris amorem, quam ad amicos videatur pertinere; porro defendit se ab animi quadam levitate et inconstantia, sibi haud dubie ab amicis nonnunquam objecta, et, quae est callida

ejus urbanitas, significat, in amicorum animis quid istum urbis amorem excitet foveatque excitatum. Nam, dum Villico suo objicit v. 21.

> *Fornix tibi et uncta popina*
> *Incutiunt urbis desiderium, video, et, quod*
> *Angulus iste feret piper et tus ocius uva,*
> *Nec vicina subest, vinum praebere taberna*
> *Quae possit tibi; nec meretrix tibicina, cujus*
> *Ad strepitum salias terrae gravis;* [11])

quis est, qui his in verbis non persentiscat et agnoscat vaferrimam poetae artem, qua admissus circa ridentium amicorum praecordia ludit? et qua hic eis vitae amorem voluptariae, ob quam ruri simplici et frugali Romam praeferant, tecte simulteque exprobrat? Denique suae in villa praesentiae necessitatem, ne rei familiaris jactura sibi fiat, declarat urgetque, et vitae, quam in Sabino degat suo, beatitatem, ab omni alienam invidentia et malevola obtrectatione, paucis sed ponderosis praedicat verbis, animumque sorte sua contentum testatur. Haec qualiscunque mea conjectura de scribendae hujus epistolae consilio mirifice etiam juvatur singulorum vi et sensu locorum, quae, in vulgari si acquiescimus opinione, difficiles habent explicatus. Ceterum, quam habet hoc carmen cum Satira Libri II. similitudinem, ea quantum ponderis ac firmamenti addat iis, quae supra de pari Satirarum Epistolarumque et origine et consilio disputavimus, in aprico est. Neque profecto potest cuiquam esse obscurum, quid Horatius in hoc cum ceteris divulgando spectaverit poemate, quo admodum dubito, an potuerit aequalibus proponere veriorem et expressiorem suae vitae morumque imaginem veluti ac descriptionem, cujus lectione non poterat fieri, quin et amici delectarentur et obtrectatores meliora edocti confutarentur.

11) De orthographia voc. *villicus* docta est adnotatio *Garatonii* ad Cicer Or. pr. Planc. c. 25. p. 149 sq. ed. Orelli: cl. *Beieri* ad Cicer. Oratt. Fragm. p. 31., qui scripturam *vilicus* praetulit. De familia Romanorum rustica qui scripsere, laudati sunt a *Creuzero* in *Abriss d. Roem. Antiq:* §. 43. p. 45. quibus add. *Heinrich* ad Cicer. Or. Fragm. pro Tullio p. 31. ed. Beier. Villicus, liber homo, ceteris servis praeerat quidem, sed simul ipse opus tractabat rusticum, quod descripsit Cato d. R. R. c. 5. et 142. Quum Horatii villicus v. 14. *mediastinus* in familia urbana fuisse dicatur, *P. G. Chabotius* ad h. Ep. v. 16. T. III. p. 95. colligit, hunc villicum, cui Horatius de inconstantia se h. in Ep. excuset, esse istum Davum, qui Lib. II. Sat. 7. memoretur. Mirificum opinationis commentum! Ceterum voc. *mediastinus* scribitur etiam *mediastrinus* s. *mediastynus;* posterior scriptura, ex v. *medius* et gr. ἄστυ orta, ob hibridam rejicienda originem, prior scribarum culpae ac stupori adscribenda mihi videtur. Lambinus ad h. l. deducit a vv. *medius* et *stando*, quia servi laboriosissimi ad quaevis parati opera in medio quasi semper stare debuerint: gr μεσαύλιοι, unde *Μεσαύλιος* nomen servi proprium ap. Homer. Odyss. XIV. v. 449. cf. *Schneideri* Comment. ad Columell. Lib. I. c. 9. §. 53. Sed

eruditissimus *Cramerus* ad Vet. Schol. Juvenal. Sat VII. v. 4. p. 276. terminationem h. v. *stinus* nil nisi productionem vocabuli, ut in *clandestinis* aliisque, esse contendit. Mihi autem Lambini ratio videtur praestare.

12) De *Lamia*, Horatii amico, cui etiam Libri I. odae 26. et 36 et Lib. III. od. 17. inscriptae sunt, alibi aptior erit dicendi locus. Verba *pietas* et *cura* sunt qui ad Horatii amorem in amicum et sollicitudinem de gravissimo illius moerore referant; sed fortasse praestiterit *pietatem* de fraterno Lamiae amore, et *curam* de Horatii in amicum moerentem studio explicari. Lambini et Feae codd. aliq. *moretur*, quod, cum h. l. *quamvis* idem sit quod *quantumvis*, quae vi ab aureae aetatis scriptoribus, ut a Poeta nostro, constanter Conjunctivo soleat jungi, animi pendeo, utram hic sequar lectionem; nam Sat. I. 3. 129. *quamvis tacet Hermogenes* ab h. l. differt. Ante Ovidium, multa omnino in poetica dictione novantem, nullum scio aureae aetatis poetam, qui v. *quamvis* cum Indicativo posuerit: vid. *Burmann* ad Ovid. Heroid. VII. 129. et XIII. 119. et de usu h. v. ap. seriores pedestris orationis scriptores egerunt Intpp. ad Sueton. Aug. c. 42. — vers. 7. *Bothius* vocabulis *ὁμοιοτελεύτοις* et *ταυτολογίᾳ* offensus, invita Minerva, tentavit *fratrem mirantis*, et *mirari* accepit, quo v. 18. dicitur sensu. De *ὁμοιοτελεύτοις* quaedam dixi in *Beckii Actis Semin. Reg.* Vol. II. P. 2. p. 327 et inpr. conferenda sunt, quae docta disputavit *Jahnius* ad Horat. Od. IV. 6. p. 266. sq. Neque in hoc versu inest *ταυτολογία*, si quidem *moerere* et *dolere* utique differunt inter se: *moeror* enim est contractio animi et demissio vel, ut Ciceroni Tusc. Q. IV. 8. dicitur, aegritudo flebilis; *dolor* aegritudo animi vel ex mali alicujus praesentia vel ex absentia boni, et ut *moeror* de solo dicitur animo, et *dolor* de animo et corpore, ita *dolor* exterior et levior, *moeror* interior et gravior est. Neque Poeta h. l. gradationem neglexit, quum diceret: *dolere insolabiliter*, quod posterius est *ἅπαξ λεγόμενον*: quo factum, ut *insolabiliter dolere* plus sit, quam *moerere*. Similiter Lucretius Lib. III. 920. *insatiabiliter deflere* ad gr. *ἀκορήτως ὀδύρεσθαι*. Proinde meae interpretationi nihil, opinor, obstat Cicer. ad Attic. XII. 27. *moerorem minui, dolorem non potui.*

13) *Fornix* Schol. Cruq. *lupanar*: i. e. cella fornicata s. concamerata ac subterranea, in qua scorta habitabant: vid. Intpp. ad Juven. Sat. III. 156. XI. 171. — *uncta popina* aliis est *immunda*, ut Sat. II. 4. 62. et *nigra* Martial. Lib. VII. ep. 60.; sed rectius Schol. Cruq. *redolens et optimis cibis plena*: in universum refero ad famosam vitae voluptariae mollitiem, quo sensu *uncta Corinthus* ap. Juvenal Sat. VIII. 113. Ex judicio amicorum Romam efferentium Poeta contemptim appellat villam suam *angulum* et convenienter personato villico memorantur *taberna vinaria* et *meretrix tibicina*, qualis describitur Copa a Virgilio, ubi vid. Heynius ad. v. 1. et *Ilgen d. Copa Virgilii* p. 9. His igitur verbis salse significari ac vellicari puto Poetae nostri amicos, quibus, ut Alcinoi in cute curanda plus aequo operatae juventuti, ut ait Epist. I. 2. 30., *pulchrum fuit in medios dormire dies, et Ad strepitum citharae cessatum ducere curam.*

§. 7.

In eundem ingeniosorum lusuum numerum ac veluti censum referendam puto Epistolam 13. Lib. I., quae scripta perhibetur ad *Vinnium Asellam*, in quo homine, cujas fuerit, eruendo non potest dici quantum desudarint Interpretes. Acroni Schol. p. 417. dicitur *Caninius Vinnius Fronto:* ubi mendosum voc. *Caninius*, coalescentibus nominum litteris manifesto ortum, emendandum est *Caj. Vinnius Fronto.* Uterque Scholiasta hunc *Vinnium* patre usum fuisse refert cognomine *Asinae:* nempe id didicerant ab ipso Poeta, qui isti homini praeceperat v. 6.

Si te forte meae gravis uret sarcina chartae:
Abjicito potius, quam, quo perferre juberis,
Clitellas ferus impingas, Asinaeque paternum
Cognomen vertas in risum et fabula fias. 14)

In quo illud me mirum habet, quod, qui fuit *Asinae* filius, non tulerit paternum cognomen, sed *Asellae*, uti non modo Epistolae Inscriptio testatur, sed etiam Porphyrion Schol., qui diserte sic: „*Hanc scribit ad Vinnium Asellam;* unde haud dubie profecit, quisquis fuit, Inscriptionis auctor. Equidem e Corneliis, quibus, uti unus, quod sciam, tradit Macrobius Sat. Lib. I. c. 6. p. 232. *Z.*, *Asinae* cognomentum adhaesit a gentis Corneliae principe, qui, cum empto fundo seu filia data marito, sponsores ab eo sollemniter poscerentur, asinam cum pecuniae onere, quasi pro sponsoribus praesens pignus, produxerat in forum et inde *Asinae* cognomen invenerat, non memini quemquam inveniri, qui *Asellae* cognomine memoretur. Quapropter haud temere mihi videor suspicari, Porphyrionem aut alium quempiam ex sciolis Poetae Venusini Commentatoribus proprio ausu filium ejus, qui *Asina* cognominatus fuerit ab Horatio, nominasse *Asellam*, lepidumque hoc commentum adoptasse. Idem Porphyrion omittit *Frontonis* cognomen, quod, unde in Acronis et Schol. Cruq. commentarios intulerit pedem, fateor me nescire, nisi forte Commentatores isti allucinantes gentem *Corneliam*, in qua *Frontones* inclaruisse notum est, cum gente *Vinia* confuderint, praesertim si meminerint *Cornelium Asinam* istum, gentis Corneliae principem, a Macrobio memoratum, quem miror a diligentissimo viro, Glandorpio, esse omissum.

Praeterea jam Torrentius p. 677. adnotavit, *Semproniorum* fuisse cognomen *Asellio*, *Claudiorum Asellus:* de *Semproniis* egit Glandorpius in Onom. p. 782. Ad *Claudiam* gentem referendus est iste *Asellus*, in quem Scipionis dicteria memorat Cicero d. Orat. Lib. II. c. 64. Scipio enim Africanus Minor, qui cum L. Mummio Achaico a. V. C. 611. Censura functus *Tib. Claudio Asello* equum ademerat (vid. *Perizonii Animadv. Histor.* p. 41. ed. Amstel.), huic conquerenti, equum a Censore sibi adimi et omnes se provincias stipendia merentem peragrasse glorianti, respondit proverbio: *Agas asellum!* de quo videsis Cicer. Interpp. in edit. *O. M. Mülleri* p. 358. Quo facto *Tib. Claudius Asellus*, per Mummium ignominia liberatus, Scipioni, cujus Censuram gravis consecuta fuerat pestilentia, infelix istud lustrum aliquando

exprobravit: quo, quod nemo Ciceronis Interpretum observavit, referendum puto fragmentum Lucilii ap. Gellium N. A. Lib. IV. c. 17.

Scipiadae magno improbus objiciebat Asellus
Lustrum, illo Censore, malum infelixque fuisse.

Quam probrosam *Aselli* objectationem quum inaudisset Africanus, isti, *Noli*, inquit, *mirari. Is enim, qui te ex aerariis exemit, lustrum condidit et taurum immolavit:* i. e. Memmius, Scipionis Censoris collega. Hoc aculeatum Africani dictum legimus ap. Ciceron. de Orat. Lib. II. c. 66. ibique cfr. *Harles* p. 566. cl. *Ellendt* in Proleg. ad Cicer. Brutum p. XXX. Ex his, quae disputavimus, liquet, quam perperam in Gellii edit. J. L. Conradi (Lips. 1762.) T. I. p. 365. adnotatum sit, cognomen *Asellus* etiam Semproniae genti adhaesisse.

Sed ut, unde digressi sumus, redeamus, hunc Horatianum *Asinam* ejusque filium *Asellam* Viri Docti, in his *Bentlejus*, ad gentem Praetoriam *Viniam* retulerunt, ex qua *Glandorpius* in *Onom* p. 905., praeter hunc Horatianum, quem satis ridicule Poetae amicum dicit, nullum nisi unum recenset *Vinium*, cujus meminerit Cicero ad Attic. Lib. II. ep. 2. §. 3. ubi haec: *De Lollio sanus non es; De Vinio laudo:* sed ibi in multis Mss. *de lolio* seu *oleo* — de *vino* legitur: quod non magis explicari posse verissime adnotavit *Schützius* in Cicer. Epist. T. I. p. 146. edit. Halens. 1809., quam si *Lollio* et *Vinio* a Cicerone scriptum esset, quinam hi fuerint, aut qua de re agatur: cfr. *Wielandi Interpr. Vern.* Tom. I. p. 330., qui jure *Seb. Corradi* et *Fr. Junii* interpretationes ap. *Graevium* T. I. p. 187. repudiavit. *Bentlejus* p. *Vinni* v. 2. scribi jussit *Vini* firmavitque Gruteri Inscriptt. p. 189. N. 3. et 4. SER. GALBA III. T. VINIO COS; quae quidem Inscriptiones spectant ad a. V. C. 822., quo anno T. Vinius Galbae in Consulatu collega fuit: vid. Tacit. Histor. Lib. I. c. 13. et c. 48., ubi succincta de ejus vita reperitur descriptio. Idem Vinius, teste Suetonio in Galb. c. 14., fuit Galbae in Hispania legatus, homo immensae cupiditatis, quam in eo etiam notat Plutarchus in Vit. Galb. c. 12. T. V. p. 616., ubi Reiskius edidit Οβίννιος, quod improbat Oudendorpius ad Suet. l. c. p. 762., qui, quum Tacitus Hist. Lib. I. c. 48 tradat, *T. Vinius LVII. annos variis moribus egit. Pater illi e Praetoria familia, maternus avus e proscriptis:* colligit, hunc Consulem fuisse nepotem illius T. Vinii, ab Octaviano Triumviro proscripti, quem per Tanusiam uxorem in arca occlusum et a liberto Philoppoemene domi suae celatum scribunt Suetonius in Aug. c. 27. et Dio Cassius Lib. XLVII. c. 7. T. I. p. 146. Reim., ita ut T. Vinius Consul nomen materni avi vel adoptione vel alia de causa fuerit adeptus. Ille libertus, ob nobile hoc factum, ab Augusto equestri honoratus dignitate; posthac T. Vinius Philopoemen nominatus est. Eandem rem narrat Appianus B. B. C. L. IV. c. 44. T. II. p. 588 ed. Schweighaeuseri, a quo miror verissimam Casauboni ad Sueton. Aug. l. c. T. III. p. 294. Wf. emendationem Οὐινίου δὲ, ἀπελεύθερος αὐτοῦ Οὐίνιος Φιλοποίμην pro vulg. Ἰουνίου — Φιλήμων spretam esse, probatam cum aliis; tum etiam Oudendorpio ad Sueton. l. c. p. 202., qui ex vulg. Ἰούνιος et Ἰουνίου haud finxit, itemque in Sueton. Galba c. 14. et Vitell. c. 7., ubi aliq.

Codd. *Junius* praebent, veram lectionem T. Vinius reposuit. Ita etiam ap. Dion. Cass. l. c. ex Mss. Ἰουνίου pro Οὐινίου enotavit Fabricius, qui praeterea de gente Vinia *Chr. Sig. Liebe* in *Gotha Num.* p. 418. consuli jubet.

Jam hic *T. Vinius*, de quo postremum dixi, quem *Vinii* Horatiani aequalem fuisse patet, quaeritur, an hunc tetigerit gentilitate: cui opinioni non obstat cognominis diversitas. *Sanadono* in *d' Horace* T. VI. p. 185 non dubium videtur, quin hic *Vinius* ad gentem pertinuerit *Viniam*, quae sub Imperatoribus sit nobilitata. Verum jam Torrentius hunc Horatii tabellarium, cujus nomen *Vinnius* scribi maluit, *Vinia* gente praetoria exemit; eumque rusticum aliquem et quidem Horatii in Sabinis vicinum fuisse credidit, cujus opera in mandatis Romam perferendis fuerit usus. Quid? quod *Dacierus* in *Oeuvr. d' Horace* T. VIII. p. 357. gentem *Viniam* negat fuisse adhuc Augusti aetate. Qua in re Vir Doctus egregie est falsus, ut apparet ex iis, quae supra de T. Vinio, a Triumviris proscripto, disputavimus. Sed idem *Dacierus* peracute, ex mea quidem sententia, ita pergit: *Ce Vinnius, dont Horace se sert, étoit, sans doute, un de ces cinq peres de famille qui composoient le petit hameau d' Horace, et dont il parle dans l'Epitre qui suit celle-ci.* h. e. Ep. XIX. v. 3 ubi haec:

Villice silvarum et mihi me reddentis agelli,
Quem tu fastidis, habitatum quinque focis et
Quinque bonos solitum Variam dimittere patres. [15])

Hanc Dacieri conjecturam, quae mihi omnes probabilitatis numeros habere videtur, equidem non possum, quin ceteris Virorum Doctorum opinationibus praeferendam putem. Nam cui est dissimile veri, quinque illos patres familias, Variae municipes, Romae nundinas frequentasse et Horatio, vicino suo, quem, ut ipse Poeta ait Epist. XIV. v. 39., glebas et saxa moventem saepe ridebant, siquid mandati vel litterarum haberet Romam curandum, suam praestitisse operam idque immunem? Verum enim vero nemo mihi persuaserit, Horatium *Vinnium*, unum ex quinque illis vicinis, quem praesentem praesens poterat monere, per litteras docuisse, qua ratione suos libellos Romam perferri et Augusto tradi vellet, eumque, istum de paterno illius cognomine jocum ut sciens hic omittam, dedisse ad rusticum hoc epistolium leporis, urbanitatis et blandi in Augustum studii officiique plenissimum, neque sine cura et docta quadam arte scriptum, quo inprimis refero illa v. 11.

Victor propositi simul ac perveneris illuc:
Sic positum servabis onus, ne forte sub ala
Fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum,
Ut vinosa glomus furtivae Pyrrhia lanae,
Ut cum pileolo soleas conviva tribulis.
Ne vulgo narres te sudavisse ferendo
Carmina, quae possint oculos auresque morari
Caesaris: oratus multa prece, nitere porro. [16])

14) Doeringius V. Cel. v. 7. distinxit: *quam, quo perferre juberis Clitellas, ferus impingas*, et v. *ferus* de Vinnio dictum putat tanquam de asino, ut *equus a* Virgil. Aen. II. 51. appellatur *ferus*. Mihi autem Vinnius *ferus* dici videtur, quia est rusticus, vehemente opera minister (v. 5.) et importunus, et respectu sane cognominis paterni, Asinae, librorum sarcinam appellat *clitellas* h. e. gr. *ἐπισάγματα ephippia*, quae imponuntur jumentis dossuariis ad onera commodius portanda; vid. Sat. I. 1. 47. Verbum *impingere* sensu neutro sumpsit Doeringius et etiam J. H. Vossius, qui convertit: *Du wie eins Saumthier plump anprallst:* nisi forte *clitellas impingere* praestat *obtrudendi* notione accipere, ut ap. Cicer. ad Attic. VI. 6. *atque hoc tempore impingit mihi epistolam Scaptius;* Seneca Epist. 95. §. 2. *et tibi ingentem epistolam impingam.* Ceterum apud Priscianum Lib. XVIII. c. 4. §. 50., qui h. Epistola *impingas* pro *impingito*, *uteris* v. 10. pro *utitor* et *servabis* v. 12. pro *servato* posita observat, edidit Krehlius, Codicibus obsecutus, v. 6. *urat* p. *uret*, et hanc lectionem in Horatii textu reponendam censuit. Sed mihi potior est consensus Codd. Horatt. in v. *uret*, si a paucis discesseris, qui *urget* offerunt, quod ipsum vulg. *uret* tuetur, ut alia omittam, quae Futuri vim et elegantiam hoc in contextu orationis tectam sartamque praestant.

15) De lectione *Variam* pro *Bariam* praeclare disputavit Car. Fea ad h. l., quibus addi potest *Schwabii* Excurs. XIII. ad Phaedri Prolog. IV. T. II. p. 432. Recte vero Gesnerus, praeeunte Cruquio, *bonos patres* de patribus familias, singularum villarum dominis et Variae municipibus interpretatus est.

16) Vinnius dicitur *victor propositi*, *ἐγκρατὴς τοῦ σκόπου*, quatenus per clivos, flumina et lamas ad Augustum pervenerat. — v. 12. Dan. Heinsius vv. *sic positum* pro solita sua infelicitate *Sepositum servabis onus* correxit, quod temere in textum receptum editiones nonnullas infecit, ut utar verbis Bentleji, qui illud commentum egregie refutavit et vulg. lectionem cum aliis confirmavit, tum inprimis loco Martialis Lib. V. ep. 6. qui Parthenium eodem, quo Horatius Vinnium, modo rogat, ut Domitiano Librum velit tradere v. 16.: *Nec porrexeris ista, sed teneto, Sic tanquam nihil offeras agasque. Si novi dominum novem sororum, Ultro purpureum petet libellum.* Quare pulchre Doeringius ad h. l. *sic* explicat *δεικτικῶς*, *hunc in modum* h. e. *apte et decenter positum:* qui cum pergit: *sed fortasse quoque Horatius dum ajebat* sic, *ipse simul monstrabat et praeibat σχῆμα, quo tradenda essent carmina:* vellem addidisset, an putaverit, Horatium praelegisse hanc epistolam Vinnio, eique praesenti praeivisse *σχῆμα*. Hanc *ὑπόθεσιν* nostra, quam de hujus Epistolae scribendae consilio supra proposuimus, conjectura removet omnem, et in ficta epistola poterat sane rem ita informare ac si praesenti praesens monstrarit modum, quo librorum fasciculum *servaret* h. e. gereret, quos vetat eum palam habere, ostentare et ferre in oculis omnium, ut rusticus agnum portat sarcinatus sub humeri ala, aut ut vinosa Pyrrhia furtivae lanae *glomus*, ut recte ex Codd. Mss. Bentlejus et Fea, pro quo Codd. alii mendose *glomos* s. *globos:* ut in Manilii Astron. Lib. I. v. 837. *ut globus*, ubi item Bentlejus *glomus* scripsit. Priscianus Lib. V. c. 8. §. 43. *globus, quod etiam hoc glomus glomeris dicitur*, ut ex opt. Codd. edidit Krehlius T. I. p. 196. Igitur mdum aut *globos* aut *glomus*, et jure Bentlejus *glomus* negat usquam genere

masculino inveniri: cui frustra repugnat Haberfeldtus. Torrentius neutrius formam bene firmavit derivatis *glomerare* et *glomeramen* ap. Lucret. II. 685. V. 725. qui etiam penultimam v. *glomus* arsis vi producit Lib. I. 361. *Nam, si tantumdem est in lanae glomere, quantum Corporis in plumbo est, tantumdem pondere par est.* Itaque vera lectio est *glomus*, pro quo Lambin. Torrent. itemque Haberfeldt. Bothe, Doering male *glomos* ediderunt. Ceterum exemplum Pyrrhiae, quae, quia ebria erat, lanae furto surreptae glomus palam gestabat, unde Horatius mutuatus sit, docui in Comment. *d. Titio Septimio Poeta* p. 5. — v. 15. ridiculum in eo est, quod tribulis iste conviva soleas, quas mensis accubituri deponere solebant, (vid. *Heindorf.* ad Sat. II. 8. v. 77. p. 440.) cum pileolo etiam per viam sub axilla gestarat et domum hospitis ingressus induerat: id quod rusticae simplicitatis erat ac paene stoliditatis. Turnebus Advers. XXIV. 17 observavit, Romanos non gestasse soleas, nisi in tricliniis et coenaculis: ad quem Romanorum morem se accomodavit Philodemus in Anal. Br. II. 89. N. 23. ibiq. *Jacobs* in Observatt. Vol II, P. I. p. 235.

§. 8.

Haec omnia quoties mecum reputavi, toties me in ea confirmatum sensi opinione, qua Horatio scribendi hujus Epistolae hanc credo fuisse causam et rationem. Augustus, quem constat Poetae nostri ingenium et carmina maximi fecisse, haud dubie eum rogavarat, ut, si qua forte scripsisset carmina, ea sibi mittenda curaret. Horatius, cui cum Augusto, rerum potente, et verecundius, quam cum Maecenate, et cautius esset agendum, ne offenderet illum ejusque gratia ac liberalitate excideret, precibus ejus satis faciundum putavit. Sed quemadmodum Poeta noster, qui fuit summus ejus pristinae amor libertatis, omnem arctiorem cum Imperatore familiaritatem repudavit, utpote qui, teste Suetonio in Horatii Vita p. 49. T. III. ed. Wf., vel invitatus ab epistolis illi esse nollet, et quamlibet laudandi eum ejusque res gestas versibus celebrandi opportunitatem vel invitationem callide tergiversando rejecit, ita etiam hoc oblatum sibi cum maxime scribendi ad eum officium ac necessitatem ita mihi videtur subterfugisse, ut hoc epistolium ad Vinnium, quo tabellario usus est, scriptum fingeret idque cum aliis, quae ad Caesarem misit, poematis mitteret. Igitur haec quoque Epistola, ut paucis dicam, non Vinnii, cujus nomen praefixum habet, sed Augusti gratia chartis est mandata, in quo quamvis brevi poemate habemus profecto, quod admiremur urbanitatem Poetae et artem. Dum enim Vinnio verecundiam, morum elegantiam ac modestiam in Augustum festive commendat, simul sine adulatione contestatur, quanti ipse faciat Principem et, dum vetat rusticum vulgo narrare, se sudavisse ferendo carmina, quae oculos animumque Caesaris morari possint, nemo non sentiet, quam eximiam ipse suismet tribuat poematis laudem. Haec commenticia ad Vinnium Epistola non potuit fieri, quin Augusto magnopere probaretur atque publici posthac facta juris pungeret eos aequalium, qui Horatio Augusti gratiam et favorem inviderent ejusque laudi poeticae obtrectarent.

Quaerentibus autem nobis, quos miserit per Vinnium Augusto libellos s. carmina, admodum improbabilis videtur opinatio *Wielandi* ad h. l. p. 209. qui, rei librariae ap. Romanos ratione ac natura parum perspecta, de Satiris, Epodis et tribus Odarum libris, uno junctis volumine, cogitat. Quis vero credat, Horatium, praeterquam quae ipse publicaverit, nulla per otium et animi causa passim lusisse poemata? Itaque aut de his cogitari licebit, aut, quod verisimilius est, de his ipsis, si non omnibus, certe nonnullis, quas paullo post primo complexos Libro edidit, Epistolis, si quidem certum est, non eo omnes temporis ordine esse exaratas, quo se hodie excipiunt. In quibus quum Augustus sui mentionem non nisi obiter injectam invenisset; accidisse suspicor illud, quod Suetonius in Horat. Vit. T. III. p. 50. Wf. narrat: *Post Sermones quoque lectos, nullam sui mentionem habitam ita questus:* Irasci me tibi scito, quod non in plerisque ejusmodi scriptis mecum potissimum loquaris. An vereris, ne apud posteros tibi infame sit, quod videaris familiaris nobis esse? *expressitque Eclogam, cujus initium est:* Cum tot sustineas etc. i. e. Epist. 1. Lib. II. Quod quidem Suetonii testimonium nos primum docet, *Sermonum* nomine etiam *Epistolas* fuisse comprehensas et, quum Augustus post *Sermones* h. e. Epistolas quasdam lectas questus esse dicatur, nullam sui mentionem habitam esse; Epistola XVI., in qua v. 27. blanda ejus inserta est laus, isti carminum fasciculo, per Vinnium Romam portato, non videtur fuisse adjecta, nisi forte Augustus prae indignatione pulcherrimum illum locum nihil curavit. Sed de hac conjectura, cui temporum ratio egregie favet, alio loco copiosius exponam.

Sed haec sufficiant et, quae nunc disseruimus, inchoata magis, quam elaborata et perfecta, ea alio fortasse tempore ita pertractabimus, ut, singulis Poetae Venusini Epistolis cum cura examinatis, doceamus, quantum quaeque nostram de earum origine et consilio conjecturam adjuvet atque confirmet. In scribenda autem hac Prolusione potissimum ratio a me habita est discipulorum, quos per proximum semestre in scholis Horatianis habui auditores. Quorum ex contubernio, quum quinque juvenes, mihi et Collegis morum honestate juxta atque eruditionis facultate magnopere probati in eo essent, ut, legitimum vitae scholasticae cursum emensi partim, partim ante tempus discedendi veniam a Summo Senatu Ecclesiastico adepti in Academiam Lipsiensem abirent, nolui ego modestissimis eorum precibus deesse, quin, quum Scholae magistrisque publice valedicere exoptarent, hac qualicunque scriptione, quae simul et Scholae, quae in suo eos sinu per plures annos complexa fovit, et prolixae meae in eos, ut discipulos industrios et obsequiosos, voluntatis ac studii exstaret μνημόσυνον, Actum oratorium, qui dicitur, sollemni more indicerem. Atque hujus diei sollemnitas ne nimis produceretur, duos eorum jusseram orationibus latinis, tres poematis latinis publicum ingenii sui doctrinaeque edere specimen. Sed, quae solet esse in regundis rebus humanis caeci casus vis et volubilitas fortunae, accidit, ut, qui scriptas a se orationes meae censurae jam subjecerant, *Ern. Frieder. Gelpke*, *Radefeldensis*, et *Gustavus Hartenstein*, *Plaviensis*, praeclarae indolis juvenes et *primam* tum morum tum eruditionis *laudem* hinc

auferentes, perinviti et necopinantes necessitate quadam prius domum avocarentur, quam Scholae, cui multis se obstrictos sensere nominibus, publicas persolvissent gratias. Hinc tres tantum juvenes prodibunt oratores eo, quem quisque suos inter commilitones tenuit, loco et ordine:


Mauritius Augustus Lechla, *Erlaviensis*, juvenis et rara morum modestia et eximiis ingenii bonis conspicuus, qui sex annos summa cum laude apud nos transegit, epicis versibus *Horatii Coclitis*, fortissimi Romani, nobile factum celebrabit et nobis valedicet Lipsiam aditurus, ubi, auspice *Tzschirnero*, V. S. Ven. affini suo ac patrono aestumatissimo, Theologiae operam dabit.

Carolus Henricus *ab* Elterlein, Drehbachio-Montanus, oda alcaica *Vitae Rusticae Laudes canet.*

Guilelmus Gustavus Busse, *Wurzenensis*, heroicis versibus *generosam Leonidae ad Thermopylas mortem* praedicabit.

Uterque juvenis, quamdiu nostra usi sunt disciplina et institutione, multa nobis et probitatis, et industriae dedere documenta, et eam de se excitarunt exspectationem, ut Lipsiae quoque in Jurisprudentium castris eandem eos promerituros esse laudem, non tam speremus, quam certissime confidamus.

Hos juvenes orantes ut sua praesentia excitent atque benevole audiant Generosissimus ac Gravissimus Moldani Inspector, omnesque, qui olim juvenes virorum proborum ac doctorum judiciis sua studia mirifice incendi alique senserunt, litterisque, quibus ipsi nomen et dignitatem consequuti sunt, earumque studiosis amice et serio prodesse cupiunt, ea, qua decet, reuerentia et humanitate rogamus et invitamus. Dab. in Regia Schola Grimensi Ips. Idibus Martiis cIↃIↃCCCXXVI.



SALONICHI
Serrae
Tricala
Drama
Emboli
Nicopoli
Trajanopel
Pergamo
Comerchani
Thasos
Madonna
Mb. Contessa
I. Marmora
V. Rosani
Castro Sarai
Samondrachi
Embro
Athos
Hagia Laura
M. Monte Santo
Pari
V. Stilia